A. MEES,

DE

LUCIANI STUDIIS ET SCRIPTIS JUVENILIBUS.

DISSERTATIO LITERARIA

DE

LUCIANI STUDIIS ET SCRIPTIS JUVENILIBUS.

TYPIS A. D. SCHINKEL.

DISSERTATIO LITERARIA

DE

LUCIANI STUDIIS ET SCRIPTIS JUVENILIBUS,

QUAM,

QUOD DEUS BENE VERTAT,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

J. C. SWYGHUISEN GROENEWOUD,

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. DOCT. ET PROF. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HUMANIORIBUS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTIT

ADRIANUS MEES,

ROTERODAMENSIS.

A. D. I M. JULII A. MDCCCXLI, HORA I.

ROTERODAMI,

APUD W. MESSCHERT.

MDCCCXLI.

PRAEFATIO.

Quae de ipsa dissertatione ejusque materie dicenda erant, diximus in Proöemio; quapropter solum officio debito fungendum est gratias agendi Viris Clarissimis, quorum institutio praeclara et maxima erga me benivolentia, posthac etiam profutura, nunc tamen Academiam relinquenti mihi potissimum commemoranda est. Utinam esset ille HEUSDIUS*! Eruditionis ejus praestantiam et copiam docendique vim et alacritatem non ego praedicabo, sed tantum ille mihi profuit, ut hanc singularem vitae meae felicitatem putem, quod eo frui mihi licuerit. Ingenti ejus desiderio commoveor: neque enim quisquam facile illo discipulorum amantior fuit, nec majorem in animos eorum regendos et studia provehenda vim exercuit. Equidem si ad me ipse respicio, vel ad hanc dissertationem, illo auctore susceptam, multa sane mihi deësse video, vel ad ingenii, vel eruditionis laudem, ut tanto dilectissimi viri studio respondeam,*

nec tamen aut illius memoriam deseram, aut illud literarum honestatisque studium, ad quod ab illo informatus sum.

Hunc Tu amabas, Clarissime VAN GOUDOEVER, *hujus non tantum alumnus et socius idem eras, verum in discipulorum etiam amore comes. In morte quoque illius ferenda Tua virtus enituit; nam qui luctus Tibi injiciebatur, eundem in aliis mitigare studebas. Equidem sane tanta Tibi debeo, ut nolim frustra in disserendo operam consumere: nosti animum meum, ego vero quoque novi, et intelligo, per totam vitam, quamquam non Tuis meritis parem, tamen gratissimum fore.*

Reliquis quoque Praeceptoribus pro egregia institutione maximas gratias ago: Vestram vero tacere non possum humanitatem, Clarissimi Schroeder et Royaards! Qui doctrina et voluntate egregie mihi profuistis; merita vestra non obliviscar.

Commilitonibus, quibuscum adhuc conjunctissime vixi, contingant quaevis optima, maneatque illa quae vita habet maxima et verissima praesidia animorum conjunctio.

PROOËMIUM.

Graecorum profecto ingenia multum reliquis gentibus praestiterunt. Neque id ex eo solum intelligitur, quod omnes omni tempore agnoverunt, nullam laudem esse literarum, cujus non penes illos principatus fuerit; verum tempora etiam distinguentibus et aetates contemplatione complectentibus apparet de Graecis aliter atque de aliarum gentium laudibus judicandum esse. Saepenumero in artium doctrinarumque historia animadvertere licet, literas celeriter arripi, magnamque uno tempore praestantissimorum virorum esse proventum, tum vero studia defervescere et sensim paulatimque extingui. Prima vero Graecarum literarum aetate, quae fere Poëtica vocari solet, erat sane summa vis ingeniorum et fervor divinusque afflatus. Nec tamen ille fervor fuit ad parvum tempus, neque ad vigorem suum Graecia pervenerat, praegnans fuit illa aetas et parturiens ut postea fructus apparerent tanta conceptione dignissimi, tum, quum, ut de unis Athenis dicamus, tanta ingeniorum copia illam urbem illustraret, ut qui postea eo veniret, quacunque ingrederetur, in aliquam historiam vestigium poneret.

Agite vero: sunt in rebus humanis, quae sibi superstites videantur. Virtute crevit Romanum imperium ad eamque magnitudinem et firmitatem fundatum et ex-

structum est, ut etiam tum, quum illa virtus antiquata esset, seditionesque et malae artes rempublicam delevissent, ipsum tamen imperium per multa saecula staret et tandem vix a potentissimis fortissimisque populis deleretur. Athenae quoque diu amissâ illâ propriâ velut studiorum viriditate, non auctoritate solum et exemplis, sed magistrorum etiam copiâ affluebant, et quamquam non tanta fuit ingeniorum praestantia et copia, tamen dominata est eruditio Graeca et humanitas. Atque in ipso quasi interitu, non dico literarum Graecarum, quae revera dici possunt continenter ad nostra tempora propagatae esse, sed in interitu studiorum eorum, quae ita fuere veteri orbi Graeco propria, ut distinguatur per ea vetustas ab iis temporibus, quae secuta sunt et postea fuerunt, operae sane pretium est attendere pristinae laudis vestigia. Non enim exitus velut senis fuit sine sensu, sed erat juvenilis alacritas atque fortitudo, erat sapientia sentientis quasi et intelligentis cedere se debere.

Etenim Lucianus, de quo scripturi sumus, si quis alius, veterum poëtarum, oratorum, philosophorum studio et meditatione nutritus fuit, ejusdemque studii magnopere commendator exstitit: idem tamen deos deasque omnes, quos initio orationis oratorum summus invocaverat, exitio dedit: praestantissimorum poëtarum versus, olim in festis deorum recitatos, in coelum ita transtulit, ut ad perniciem ipsi suam iis dii uterentur [1]: Stoicorum sudorem abstergeri, Academiae dubitationem tolli, numeros Pythagoreos non amplius

[1] Velut ex. c. in Jove Tragoedo.

mundum regere voluit. Scilicet artium literarumque exempla ab antiquis petenda esse vidit, nec tamen mutatum jam rerum orbem in antiquitate consistere debere. Et ipse tamen non eruditione tantum antiquos complexus est, sed fuit ingenio quoque vetustae Graeciae par. Cujus quidem laus si et inveniendo et perficiendo censenda merito est, ecce, Lucianus, tam sera aetate, tanto rerum et vero ingeniorum intervallo, novi fuit scribendi generis auctor, atque ejusmodi generis, quod ad veterum praestantiam accederet. Comicum enim Dialogum quis ante Lucianum scripsit? Et tamen tantam formae novitatem, tantam scribendi praestantiam videns, quis non Platonem, Aristophanem, florentissimam Graeciae vetustatem cogitat?

De tanto tam singulari viro scribere quamvis sit difficile, nobis tamen difficultati non cedendum esse visum est, sed periculum faciendum, ut, qualis ille fuerit, quid voluerit, quid noluerit, investigaremus, ejusque ingenium notaremus. Idque eo magis, quoniam incredibile dictu est, quam diversa de eo fuerint omni aevo doctorum virorum judicia. Qui aliis visus est impurus contemtor deorum, eundem alii probitatis auctorem nominarunt: quem nonnulli putarunt omnia sursum deorsum, quae adhuc manebant, diruere voluisse, hunc antiqua studia, quantum fieri posset, conservare et labefactata instaurare conatum esse alii crediderunt. Sed diversas de Luciano sententias jam in hoc prooëmio recensere propter aliorum operam non necessarium est [1]. Ego vero, quamquam tenuitatis meae probe

---

[1] Egit id C. G. Jacob, initio Charact. sui Luc. Hamburg 1832.

conscius, tamen conatus sum eam viam ingredi, qua unice ad veritatem perveniri potest. Nam profecto in Luciani scriptis tanta est sententiarum copia atque varietas, ut cavendum magnopere sit, ne ex uno aliquo quamvis illustri loco de ejus ingenio studiisque judicemus: imo vero tam singularis ejus indoles fuit, ut periculosum sit, continuo eum aestimare secundum quamdam nobis aut insitam aut consuetudine propriam normam praestantiae ponderandae vel vitii reprehendendi. Ipsa viri scripta evolvenda sunt: continuo, numquid ipse tradiderit, ex quo vel studiorum ejus notitiam quaerere, vel cujusdam in iis varietatis et mutationis notam efficere liceat, investigandum: tum singula scripta ita examinanda et inter se comparanda, ut illi judicio, cujus normam ab ipso acceperimus subjiciantur. Sic imago ejus effingi poterit: quae si fortasse *ποικίλη* erit, tamen ut vera sit, magnopere laborabimus.

Exstitit autem, ut videbimus, in Luciano sub annum aetatis XL studiorum commutatio. Quae qualis fuerit, quibusque in rebus versatus fuerit quaeve ante illud tempus scripserit, explicandum est, ut deinde possit luculentius exponi, quae perfecerit postea. Haec ergo, quam jam edimus, dissertatio est de Luciani studiis scriptisque juvenilibus: pars, ut speramus, postea futura disquisitionis de Luciano, deque proprio ejus scribendi genere, consilio et sententia.

I.

LUCIANI JUVENTUTIS NOTITIA, EX IPSIUS TESTIMONIIS SUMTA.

Luciano nec parentum fortuna nec natalis locus ad literarum laudem opportuna fuerunt. Barbarum [1] interdum ipse se appellavit a patria Samosatis; quae urbs fuit Comagenes non longe ab Euphrate sita. Pater autem propter tenuitatem rei domesticae eum nuper e ludo dimissum sellulariae vitae addixerat [2]. Sed rerum humilitatem superavit naturae in puero bonitas. Quum enim, in avunculi statuariam officinam deductus, continuo moleste tulisset disciplinae severitatem, tanta eum incessit cupido cultioris vitae agendae, ut, necdum tirocinio posito, deseruerit illius artem, suoque marte decreverit ad eruditi ingenii locum et fortunam eniti.

Hujus temporis quam paene solam habemus Luciani rerum domesticarum notitiam ipse nobis impertivit, in

[1] Scytha s. Hosp. c. 9; Bis Accus. c. 27. 34; Piscat. s. Revivisc. c. 19; conf. Quom. Hist. Conscr. c. 24.

[2] Anno aetatis circiter XIV-XVI; *πρόςηβον* sive *ἀντίπαιδα*. Somn. s. Vit. Luc. c. 1 et 16; conf. Hemsterh. ad Somn. I, et in Geelii Anecd. p. 15.

rhetoricâ praefatione, quam recitavit, quo tempore, jam nominis apud exteros celebritatem adeptus, domum suam primum revisit [1]. Nomen habet a *Somnii* enarratione; cujus concepta imago est ab Hercule illo Prodici [2]. Puer Lucianus propter confractam lapideam tabulam ab avunculo verberatus, effusus in lacrymas obdormiverat, quum per noctem duae ei apparent mulieres; altera operaria, virilis, squalida: *Ars Statuaria* (*Ἑρμογλυφικὴ τέχνη*); altera facie valde formosa, habitu et vestitu decora: *Eruditio* (*Παιδεία*). Quarum utraque primum prehensis manibus vehementer ad se eum trahit, tum ipsi permisso arbitrio, rationes suas exponit. Statuaria barbarâ voce victum ei salubrem, quietam vitam, artificum honores commendat. Eruditio contra pollicetur se veterum virorum ei ostensuram res gestas et scripta, tum animum ejus ad omnem virtutem informaturam [3]; commonstrat Demosthenem, Aeschinem, Socratem, quos ipsa ex infima sorte ad summum locum evexisset. Scientiam denique promittit omnium divinarum et humanarum rerum [4], opes, dignitatem, atque in primis facundae orationis potentiam. Lucianus igitur vixdum auditis utriusque verbis, laeto animo huic se ipse committit. Quae mox eum volucri curru susceptum, ab aurora

---

1 Conf. Somn. s. Vit. Luc. c. 16 coll. cum c. 18.

2 Xenoph. Memor. lib. II. c. 1, 21 seqq.

3 Somn. c. 10. *καὶ τὴν ψυχὴν, ὅπερ σου κυριώτατόν ἐστι, κατακοσμήσω πολλοῖς καὶ ἀγαθοῖς κοσμήμασι, σωφροσύνῃ, δικαιοσύνῃ, εὐσεβείᾳ, πρᾳότητι, ἐπιεικείᾳ, συνέσει, καρτερίᾳ, τῷ τῶν καλῶν ἔρωτι, τῇ πρὸς τὰ σεμνότατα ὁρμῇ· ταῦτα γάρ ἐστιν ὁ τῆς ψυχῆς ἀκήρατος ὡς ἀληθῶς κόσμος.*

4 Ibid.

cursu instituto usque in occidentem devehit. Ipse autem in illo itinere seminis aliquid in terram dejicere sibi videtur [1], eoque omnium sibi laudes et acclamationes conciliare, atque exinde redux honestissimo amictu indutus patri suo monstrari.

Quantumvis autem splendida sint illius somnii visa et accommodata ad designandas alacris et generosi ingenii cogitationes, ex quodam tamen declamatorio habitu [2], quem refert apud Lucianum oratio *Eruditionis*, et crebriore, quae in ea conspicitur, commendatione facultatis bene dicendi [3], jam suspicari quis possit, primae illius Luciani *παιδείας* quodammodo oratoriam fuisse indolem. Atque ita res omnino se habuit. Namque alibi [4] tradidit admodum se adolescentem in Ionia coepisse *rhetoricae* operam dare, atque illá exercendâ usque in Galliam profectum fuisse, paene quadragenarium vero ei valedixisse. Unde percipimus sublimem illum cursum, quo per somnium ab oriente in occidentem devectus sit, peregrinationem maxime fuisse rhetoris sive sophistae [5]. Qua demum perfectâ, Lucianus accessit ad illud scribendi genus, quo hodie

---

1 Somn. c. 15. Grandior, quam ad designanda rhetorica Luciani officia accommodatior esse videtur haec allegoria a semine serendo petita; quam specie quadam philosophae gravitatis (Conf. ex. c. Plat. Phaedr. p. 276. E, 277. A.) nonnullos induxisse puto, ut *σπειρόμενον* illud interpretarentur pro *veritatis* et *verae sapientiae principiis*, quae aequalibus se suis impertivisse Lucianus h. l. significavisset.

2 Vid. in pr. Somn. c. 13.

3 Vid. Somn. c. 9, 12, 13; conf. 7 in fine.

4 Bis Accus. c. 27, 32; Pro Merc. Conduct. c. 15.

5 Simili modo Philostratus, in Vit. Sophist. lib. II. 15§2, de Ptolemaco Sophistâ: *ὥσπερ ἐπὶ λαμπροῦ ὀχήματος τῆς φήμης πορευόμενος, διῄει τὰ ἄστη.*

ejus ingenium et laudem censemus. Igitur in rhetoricis studiis bonam aetatis partem consumsit, iisque velut προπαιδείᾳ usus est ad ea, quibus postea propriam laudem adeptus est. Quae quidem studia nisi accurate inter se distinguantur, non potest ad probabilem ejus intelligentiam perveniri, confusa potius nec ilineamentis distincta atque adeo falsa ejus ingenii erit imago. Tum vero in his ipsis ejus rhetoricis sive sophisticis studiis existimandis magnus quidam error exstitit. Quapropter operae pretium fore putavimus, ut primum de sophistae et rhetoris nomine ejusque usu pauca moneremus, tum vero de Luciani sophisticis studiis et scriptis disputaremus: sic quidem de ipso Luciano aliquando verius explicare poterimus, quam adhuc factum esse videtur.

II.

DE SOPHISTIS SIVE RHETORIBUS.

Priusquam ad ea quae proposuimus explicanda veniamus, monemus lectores nostros, non eo nos consilio hanc disquisitionem instituisse, ut ipsam sophisticam et rhetoricam rationem ejusque quamdam historiam enarraremus; sed ea solum commonstraturi sumus, quae ad Luciani intelligentiam maxime utilia videantur. Fuit autem a plerisque eorum, qui de ejus vita uberius explicuerunt, juventus ejus in duas partes divisa, quasi primo in forensibus orationibus versatus fuerit, tum vero mutato vitae consilio ad sophistica studia se contulerit. Quod longe aliter se habere nobis persuasum est, nec separata fuisse

ita utraque studia, quin ad idem vitae genus pertinuerint. Quod nonnulli jam suspicati esse videntur [1], nos data opera rem investigemus.

Sophistarum antiquum fuit nomen et pervagatum in historia Graecarum literarum, sed dissimiles inter se rationes diversis aetatibus complexum est [2]. Longe in primis alia fuit ratio sophistarum, qui Socratis aetate floruerunt, atque Luciani aequalium. Prisci illi Atheniensium doctores non unam eloquentiam; sed praeter magnam quamdam doctrinae varietatem, civilem etiam prudentiam profitebantur. Quorum etsi alii *rhetorum* nomine appellari malebant [3], alii contra eximie *sophistas* se ipsi jactabant, et dialecticis disputationibus disciplinâque virtutis [4] philosophorum partes suscipere videbantur; tamen in minore discrepantia illud ipsis commune fuit inter se, in eoque a recentioribus diversi fuerunt, ut disciplinae eorum ratio

---

[1] Vid. ex. gr. C. Fr. Rankius, in Comm. Pollux et Luc. Quedlinb. 1831. p. 26.

[2] De latiore nominis usu, conf. Vossius, de Rhet. Natur. ac Const., Opp. Amst. 1697, Tom. III, p. 316; et C. L. Kayser, ad Philostrat. Vitt. Soph. Heidelb. 1838, p. 160. De deteriore significatione, vide multa apud Lud. Cresollium, Theat. Veter. Rhet. in Gronov. Thesaur. Graec. Antiq. Tom. X, p. 19, 20.

[3] Qualis fuit *Gorgias*, qui, apud Platonem, interroganti Socrati: *῾Ρήτορα ἄρα χρή σε καλεῖν;* *᾽Αγαθόν γε*, respondet, *ὦ Σώκρατες, εἰ δὴ ὅ γε εὔχομαι εἶναι–βούλει με καλεῖν.* Gorg. p. 449, A; conf. p. 520, A. et Meno p. 95, B. C. Contra *Protagoras*, p. 317, B. *῾Ομολογῶ -σοφιστὴς εἶναι.* Confer. Stallbaumii Disput. ad Euthydem. Vol. VI, Sect. I, p. 7 sqq.; J. Geelii Hist. Critic. Sophist. p. 47, 63 sqq., 118.

[4] Protagoras apud Plat. p. 318, A; Euthydem. p. 273, D. Quorum rationem deridebat Gorgias, vid. Meno, p. 95, B. C; Gorg. p. 520, A.

posita esset in falsa quadam et speciosa eloquentiae et philosophiae conjunctione [1], consilium autem eo pertineret, ut commodis suis quisque in civitate efficacissime consulere posset [2].

Sed horum sophistarum postquam vitia et philosophi et rhetores notaverunt, atque una cum reliquarum disciplinarum doctoribus velut regnum quisque suum recuperaverunt, mox evanuit gloria, ipsumque nomen contraxit infamiam; donec sensim sensimque, maxime primo post Chr. saeculo, iterum sed mutatâ significatione, una in paucis honorifica haberi coepta est sophistae appellatio.

Dicendi enim ars, quam antiqui sophistae ἐπιδείξεσι [3] suis adhibuerant, a *rhetoribus* deinde exculta fuit et melius conformata. In primis ex quo Isocrates, sophistarum ipse strenuus adversarius, nobilissimâ suâ scholâ, institutionem oratoriam a contentiosis et philosophicis istorum disputationibus sejunxerat [4]. Itaque constitit jam pridem juxta politicam et civilem eloquentiam alia ἐπιδεικτική [5], quae non tam in rerum usu et veritate, quam in oratoriae facultatis exercitatione et ostentatione versabatur. Haec postea se extulit et

---

[1] Conf. Tennemann, Gesch. der Phil. Th. I, S 344 sqq.; Geelii Hist. Crit. Sophist. p. 67, passim.

[2] Plat. cum Gorg. p. 452, D. tum Protag. p. 318, E. 319. A. πολιτικὴν τέχνην. Conf. Stallb. Prolegom. ad Menonem, Vol. VI, Sect. II, p. 8.

[3] De vocis usu conf. Plat. Gorg. p. 447, A. B, et Stallb. adnot. ad loc.; Geel, l. l. pag. 64 sq.

[4] Conf. Dr. Ant. Westermann, Gesch. der Beredtsamkeit in Griechenl. u. Rom. Th. I, S. 78.

[5] Conf. Cicer. Orat. c. 11 et 13; Quintil. lib. III, c. 4. § 13, 14; Voss. Inst. Orat., Opp. ed. laud. T. III, p. 14, et Westermann. Op. laud. Th. I, S. 143. not. 30.

dominari coepit, quum ab antiquo suo in civitate munere eloquentia remota in insulis et Asia se totam ad fastum et delectationem composuisset.

Imperatorum autem aetate, maxime inde a Nicete Smyrnaeo, scholasticum orationis genus ad inauditam plane celebritatem et simul ad novam rationem explicatum est, per publicas acroases, in quibus de nullis non rebus, cum meditate, tum in primis subito dicebatur. Jam dicendi magistri, qui istam artem profitebantur, sophistae dicti fuerunt. Quo tempore ita dilatata fuit hujus appellationis vis, ut Philostratus in enarrandis vitis *Sophistarum* non dubitaverit Isocratem atque Aeschinem aliosque antiquos *rhetores* in eorum censere numero [1]. Et quum jam antiquitus rhetoris et sophistae nomina confundi solerent [2], Luciani quidem aetate saepissime iisdem hominibus tributa fuerunt [3]. Universe tamen ad notionem recen-

---

[1] Videat. hujus rei reprehensio in Geelii Hist. Crit. Soph. p. 8; C. L. Kayser, Praefat. in Edit. Philostr. p. XXXV. Quemadmodum de antiqua sophistica jam Protagoras (ap. Plat. p. 316, D.): *ἐγὼ δὲ τὴν σοφιστικὴν τέχνην φημὶ μὲν εἶναι παλαιάν*, ita Philostratus (in prooem. Vit. Sophist. Olear. p. 481.) de altera sophistica: *ἣν οὐχὶ νέαν, ἀρχαία γάρ, δευτέραν δὲ μᾶλλον προςρητέον*. Quam igitur ab Aeschine repetit, etsi post eum neminem memorat ante Niceten Smyrnaeum (sub finem saec. I. p. Chr.). Nimirum recentior omnino nominis significatio ad antiqua tempora transferri solebat. Ita apud Ael. Aristidem, (Ed. Jebb, T. 1, p. 517.) *Isocrates* dicitur *τὶς τῶν ἐλλογίμων καὶ τῶν παλαιῶν σοφιστῶν*.

[2] Vid. Plat. Gorg. p. 465, C. coll. p. 520, A.

[3] Vid. Lucian. Rhet. Praec. c. 1. *Ἐρωτᾷς, ὦ μειράκιον, ὅπως ἂν ῥήτωρ γένοιο καὶ τὸ σεμνότατον τοῦτο καὶ πάντιμον ὄνομα σοφιστὴς αὐτὸς εἶναι δόξαις*. Conf. Rh. Praec. c. 25, et Apophras s. Pseudol. c. 19, *νῦν ῥήτωρ καὶ σοφιστής*. Ipse tam sophistae quam rhetoris nomine se appellavit, conf. Pro Merc. Cond. c. 15 (Coll. Bis Acc. c. 27) et Bis Acc. c. 14. De utriusque nominis distinctione, vid. Voss. de Rh. Nat. et Const. p. 317; Cresoll. Theat. Vet. Rh. p. 18.

tioris sophisticae praeter eloquentiae professionem referebatur exquisitior quaedam literarum copia, qua non solum ad materiem accommodate, sed splendide in primis et erudite quis scribere et dicere de omni re posset. Prae ea igitur qua valebant orationis potentia sophistae etiam publica interdum negotia, in primis legationes obibant, et saepius adeo caussas orabant. Plures apud Philostratum memorantur, qui judiciali eloquentiâ excelluerunt [1]. Et rhetoricae professor qui apud Lucianum exploditur tum palam sophistam se profitetur, tum gloriatur se *ἐν ταῖς δίκαις ἐξετάζεσθαι*[2]; Lucianus autem hujus alumno affirmat nihil quidquam eum prohibiturum esse *ἔν τε τοῖς δικαστηρίοις κρατεῖν καὶ ἐν τοῖς πλήθεσιν εὐδοκιμεῖν* [3].

Primarium autem in dicendi argumentis locum habebant illa, sive ficta, sive ex historia desumta, quorum pertractatio adornatam haberet imitationem publicae atque forensis eloquentiae. Cujusmodi fuerunt *laudationes*, *funebres orationes*, *suasoriae* et *controversiae*, quae eximie appellabantur nomine *μελετῶν* [4], atquė distinguebantur a sedatioribus disputationibus

---

[1] Philostr. V. S. l. I, 19, § 1. Olear. p. 511, de Nicete: *οὗτος τοῖς μὲν δικανικοῖς ἀμείνων ἐδόκει τὰ δικανικά· τοῖσδε σοφιστικοῖς, τὰ σοφιστικά.* lib. II, 20, § 1. Ol. p. 600, de Apollonio: *ἱκανὸς τὰ δικανικὰ, καὶ τὰ ἀμφὶ μελέτην οὐ μεμπτός.* l. I, 21, § 3. Ol. p. 516; l. II, 2. Ol. p. 567; l. II, 23, § 4. Ol. p. 606. Conf. Cresoll. Theatr. Rhet. p. 188, sq. [2] Rhet. Praec. c. 25. [3] Ibid. c. 26.

[4] Philostratus passim designat, qualis hic vel ille sophista fuerit cum *ἐν ταῖς μελέταις* tum *ἐν ταῖς διαλέξεσιν.* Conf. Vit. Soph. l. II, 8, § 3. 12, § 2. Olear. p. 580, 593, alibi; Plutarch. de audit. Ed. Reisk. T. VI, p. 149, *αἱ δὲ τῶν πολλῶν διαλέξεις καὶ μελέται σοφιστῶν·* Non recte autem Olearius ad Phil. p. 513, n°. 7. et Schoell, Gesch. der Griech. Litterat. Bd. II, S. 450, uebers. v. Pinder: *τὴν μελέτην* tam-

sive *διαλέξεσι* [1], quas commune cum illis nomen *ἐπιδείξεων* [2] complectebatur. Sed praeterea ad insignem formae argumentique varietatem sophistica sese extendit [3]. Unde etiam nunc complura nobis servata sunt, cum historica scripta, tum epistolae, eroticae fabulae, alia; quae etsi ab oratorio genere longius recedant, vel sic tamen illius fructus fuerunt.

Incidit Luciani aetas in ea tempora, quibus recentiores illi sophistae singulari honore florebant. Natus est imperante Hadriano [4], qui munificentia et exemplo studium Graecarum literarum, et vero hujus studii sophisticam affectationem vehementer promovit [5]. Juvene autem nostro Athenis nomen sophistae splendido ingenio ingentibusque divitiis Herodes Atticus honestabat. Urbes Ioniae, Ephesus maxime atque Smyrna, haec quidem Polemonis eloquentiâ aucta et illustrata, undique confluentem juventutem sophistica institutione excipiebant [6]. Sub Antoninis Athenae et Roma

---

quam *elaboratam orationem* opponunt *extemporaneae; αὐτοσχέδιαι μελέται* memorantur apud Philostratum lib. II, 4, § 2. Ol. p. 569. Conf. l. II, 8, § 2. Ol. p. 579.

1 Vid. Philostr. V. S. l. II, 3 et 27, § 6. Ol. p. 568, 619.

2 *Ἐπιδείξεων* nomina, genera, argumenta prolixe recensuit Cresollius in Theatr. Rhet. l. III, c. 7—10, p. 97 sqq. Suasoriarum et controversiarum Latinarum, et quarundam etiam Graecarum *M. Ann. Seneca* ex memoriâ innumera fecit excerpta, e quibus declamationum istarum rationem cognoscere licet.

3 Conf. omnino Villoisonii praef. ad Longi Pastoralia.

4 Conf. adnot. I. ad finem dissertationis.

5 Vid. Ael. Spartian. in Adriano, c. 1, 15, 16. Ipsius *μελέται* Photio perlectae fuerunt. Myriob. Cod. C.

6 Conf. Philostr. V. S. l. 1, 21, § 5. Ol. p. 518 et de Polemone l. I, 25, § 2. Ol. p. 531 — porro l. I, 21, § 3. Ol. p. 516: *πάσης γὰρ τῆς Ἰωνίας οἷον μουσείου πεπολισμένης, ἀρτιωτάτην ἐπέχει τάξιν ἡ Σμύρνα, καθάπερ ἐν τοῖς ὀργάνοις ἡ μαγάς*, et l. II, 26, § 2. Ol. p. 613, *θύουσα δὴ μάλιστα πόλεων ταῖς τῶν σοφιστῶν μούσαις.*

publice constitutos sophisticos suggestus habebant [1], et tam rhetoribus quam philosophis per provincias honores et salaria deferebantur [2]. Denique in quibusque fere celebrioribus urbibus sophistae eloquentiae ludos habebant, et varias regiones perlustrantes dicendi instituebant certamina vel panegyricas orationes declamabant. Literarum adeo illi aetati maxime propriarum omnino penes sophistas principatus fuit [3].

III.

DE LUCIANI STUDIIS SOPHISTICIS.

Explicitâ sophistarum ratione et auctoritate, intelligimus sane, debuisse sponte eo tempore in eorum fere castra se recipere omnes, qui venustiorem ingenii cultum expeterent. Lucianum in primis humili loco ortum non poterat non ista ratio vehementer allicere, quum animadverteret, quod per irrisionem aliquando

[1] Sophisticam quidem cathedram jam sub Ant. Pio Athenis fuisse, a Marco vero et huic et aliis annuum stipendium constitutum esse efficitur ex Philostr. V. S. I. I, 23, § 1, p. 526, et l. II, 2, p. 566. coll. Dionis Exc. Xiphil. l. LXXI, c. 31. Conf. laud. auct. apud Westerm. Gesch. der Beredts. Th. I. S. 200, not. 3. Romae autem qui sophisticam cathedram (τὸν ἄνω θρόνον) obtinebant, in instituto ab Hadriano Athenaeo (Aurel. Vict. Caes. XIV, 1) declamabant. Vid. Philostr. l. II, 10, § 5. Olear. adn. p. 589, 8.

[2] Iul. Capitol. in Anton. Pio. c. 11. Noster quoque δημοσίᾳ in Gallia sophistae munere fungens mercedem traxit. Pro Merc. Cond. c. 15.

[3] Rhetorica, apud Lucian. Bis Accus. c. 29. νῦν ὁπότε μόνην ἐμὲ θαυμάζουσι καὶ ἐπιγράφονται ἅπαντες προστάτιν ἑαυτῶν.

dixit [1]: «quam multi homines, qui antea nihil fuissent, per illam nobiles et divites et per Jovem generosissimi viderentur.» Quibus autem maxime usus fuerit studiorum opportunitatibus prorsus ignoramus. Solummodo memoravit se anteaquam ad rhetoricam accederet, aliquamdiu consilii inopem circa Ioniam oberasse [2]. Nullius praeceptoris studiorumve fautoris mentionem fecit. Neque propter ejus paupertatem verisimile est ei obtigisse ut in illustrissimi cujusdam magistri disciplinam reciperetur. Herodem quidem Atticum honorifice memoravit [3]; verum si forte illo familiariter usus fuerit [4], sero demum id factum videtur, quo tempore relictâ sophisticâ Athenis consedisset.

Vitae suae sophisticae Lucianus quasi cursum quemdam designavit in *Bis Accusato*, ubi, per fictionem publici judicii, rhetorica tamquam derelicta uxor Athenis *κακώσεως* [5] eum accusat atque ita maxime queritur [6]: «in Ionia olim admodum adolescenti, oratione etiamtum barbaro, ipsam se desponsavisse et dotem ei multas et admirabiles orationes attulisse;

---

[1] In Rhetor. Praec. c. 2. de aequalibus sophistis: *σκόπει γοῦν ὁπόσοι τέως μηδὲν ὄντες ἔνδοξοι καὶ πλούσιοι καὶ νὴ Δία εὐγενέστατοι ἔδοξαν ἀπὸ τῶν λόγων.*

[2] Bis Acc. c. 27.

[3] In Vita Demon. c. 24; conf. c. 33.

[4] Ut Struvius affirmat, in Specim. II, de Luc. aetate et vita p. 4.

[5] Bis Acc. c. 14.

[6] Ibid. c. 27 et 28.

deinde se ad tribules suos adventitium eum hominem deductum civem fecisse. Quum vero illi visum fuisset circumire ad ostentandam nuptiarum suarum felicitatem, ubicunque se cum secutam fuisse, sursum deorsum ab eo circumductam. Et quae per Graeciam atque Ioniam ab ipsa facta essent haec quidem mediocria esse, sed quum per Italiam peregrinari vellet, Ionium se sinum cum eo trajecisse, denique in Celticam usque eum comitatam fuisse, atque illic locupletavisse. Illum vero postquam rei et gloriae quod satis esset, parasse sibi videretur, sublatis superciliis deseruisse uxorem et ad barbatum Philosophiae filium Dialogum tamquam ad amasium concessisse. »

Elucet ex hisce, ni fallor, tum in quibus maxime regionibus juvenis Lucianus versatus fuerit [1], tum vero eum jam in Graecia et Ionia sophisticam exercuisse. Ipsum enim sophistae fuit *περινοστεῖν ἐπιδειξόμενον-πολλοὺς καὶ θαυμασίους λόγους* [2]. Neque levissimum deprehendimus vestigium, unde colligamus Lucianum, quum in Italiam et Galliam migraret novum quoddam vitae consilium et genus inchoavisse;

---

[1] Non singulae quidem a Luciano peragratae regiones in Bis Acc. l. l. nominatim enumerantur. Ita ex. c., ob Graeciae fortasse vicinitatem, non memoratur Macedonia; ubi Sophisticas recitationes eum habuisse, postquam jam in Italia fuisset, patet ex Herod. s. Aëtione, c. 7 et 5; et Scyth. s. Hosp. c. 9. Verumtamen majora certe itinera designari videntur. In constituendis autem singulis itinerum temporibus non sine multa temeritate Wielandus, Struvius et Wetzlarus versati sunt.

[2] In his, utpote Rhetoricae dote, sita erat *τοῦ γάμου ἡ εὐποτμία*, Bis Acc. c. 27. Conf. Scyth. s. Hosp. c. 10. *τὸ δεῖξαι τῶν λόγων-τίσι γὰρ ἂν ἄλλοις ἔδειξα σιωπῇ παροδεύσας τηλικαύτην πόλιν;* Herod. s. Aëtion. c. 7, *ὅτι πλείστοις δεῖξαι τἀμά.* Harmon. c. 7, *δημόσιόν τι ἐπιδεικνύμενοι. – ἐπιδεικνύμην τοὺς λόγους.* De Domo (Oeco), c. 3, 14.

in Gallia autem *τοῖς μεγαλομίσθοις τῶν σοφιστῶν* se adnumeratum fuisse affirmat in *Apologiâ de Mercede Conductis* [1].

Ubi vero, paullo inferius in *Bis Accusato*, ipse adversus Rhetoricam caussam suam dicit, in rhetoricis officiis, quae quadragenarius reliquerat, etiam strictim forenses actiones memorat: *καλῶς*, inquit, *εἶχέ μοι ἀνδρὶ ἤδη τετταράκοντα ἔτη σχεδὸν γεγονότι θορύβων μὲν ἐκείνων καὶ δικῶν ἀπηλλάχθαι καὶ τοὺς ἄνδρας τοὺς δικαστὰς ἀτρεμεῖν ἐᾶν* [2]. Atque in comico dramate *Piscatoris* reviviscentes philosophi eum non sophistam potissimum sed caussidicum videri volunt: *ῥήτορα καὶ δικανικόν* appellant, qui, relictis judiciis, dicendi suam facultatem et vehementiam in ipsos convertisset [3].

Ex collatis igitur *Bis Accusati* et *Piscatoris* locis videmur nobis recte statuere, Lucianum, antequam ad proprium literarum genus accessisset, tam sophistae quam forensis oratoris officia exercuisse. Non esse autem in hoc, quod a consuetudine illius aevi recedat, e supra notatis apparet [4]. Quum vero haud facile casu et forte acciderit, ut in altero loco scholastica, in altero forensia munera potissimum significarentur, ejus rei caussam hujusmodi esse arbitror. Lucianus etsi testatur se mature prospero successu gavisum fuisse, in tantâ, quanta in Ionia et Graecia erat, nobiliorum sophistarum frequentiâ, non ita facile vi-

---

1 Pro Merc. Cond. c. 15.

2 Bis Accus. c. 32.

3 Piscat. s. Revivisc. c. 9, 7, 23, 25.

4 Vid. Supr. p. 12, et adn. I.

deatur docendo tantum et publice declamando potuisse vitam sustentare; ideoque probabile, eum in illis locis diligenter simul judiciales caussas curasse; in aliis contra regionibus, quas non tam mutatis studiis, quam famae, ut ipse significat, et fortunae augendae caussa adiisset, propter Latinae linguae in re judiciaria usum se a foro removisse [1], atque sophistae duntaxat munere luculento cum fructu perfunctum fuisse. Quam ob rem, quum in *Bis Accus.* ex persona Rhetoricae, quippe constanter ipsum comitatae, totum vitae suae juvenilis stadium delinearet, sponte fieri debuit, ut sophisticae laudi, quam caussarum patronatui majorem locum tribueret. In *Piscatore* contra reviviscentibus antiquis philosophis quodammodo partes dedit vulgi Graecorum eo tempore philosophorum, cujus iram moverat: ipse autem in Graecia non eandem caussam habuit, cur, quemadmodum in reliquis regionibus, in declamando docendoque unice versaretur, atque illa igitur, quam forensibus caussis agendis adeptus est, nominis celebritas in hac potissimum regione ab eo parta esse videri potest: tum vero *δικανικοῦ* quam *σοφιστοῦ* nomen invidiosius audiebat [2] magisque a philosophia alienum videbatur, ac facile igitur eo no-

---

[1] Non enim est, unde eum praesertim jam eo tempore ita Latine doctum fuisse existimemus, ut caussas ista lingua orare potuisset. De ejus Latinae linguae peritia conf. Wieland, Th. I, Praef. VII. et Th. V, S. 242; Jacob, Charakt. des Luc. S. 91. C. Fr. Hermann, Allgem. Schulz. 1832. Abth. II, No. 102, S. 817.

[2] Piscat. c. 9. *δικανικόν τινα – καὶ πανοῦργον.* Toxar. c. 38. *ἐριστικὸν – καὶ δικανικόν.* Somn. c. 17. *μακρὸν τὸ ἐνύπνιον καὶ δικανικόν.* Prometh. s. Caucas. c. 4. *στωμύλος γὰρ εἶ καὶ δικανικός.*

mine eum appellaverint adversarii: quae quum ita sint, caussa ni fallor in aperto est, cur in eo dialogo potissimum caussidicus quidam Lucianus videri voluerit.

Ab iis autem, qui statuunt, Lucianum tum demum sophistam factum esse, quum, propter malas oratorum artes, juvenis judicia reliquisset, Parrhesiadis in *Piscatore* apologia laudari solet [1]. Locus quidem hic est: *ἐγὼ γὰρ ἐπειδὴ τάχιστα ξυνεῖδον ὁπόσα τοῖς ῥητορεύουσι τὰ δυσχερῆ ἀναγκαῖον προσεῖναι, ἀπάτην καὶ ψεῦδος καὶ θρασύτητα καὶ βοὴν καὶ ὠθισμοὺς καὶ μυρία ἄλλα, ταῦτα μὲν, ὥσπερ εἰκὸς ἦν, ἀπέφυγον, ἐπὶ δὲ τὰ σὰ, ὦ Φιλοσοφία, καλὰ ὁρμήσας ἠξίουν ὁπόσον ἔτι μοι λοιπὸν τοῦ βίου καθάπερ ἐκ ζάλης καὶ κλύδωνος ἐς εὔδιόν τινα λιμένα σπεύσας ὑπὸ σοὶ σκεπόμενος καταβιῶναι* [2]. Manifestum vero videtur, non hîc aliquam juvenilem, a forensi ad scholasticam eloquentiam, transitionem significari; sed eam, qua, relictâ omnino utrâque, ad philosophicum otium et novum scribendi genus se converteret [3]. Novi enim scribendi generis, ut in *Bis Accusato* propria forma, ita in *Piscatore* praecipua disceptatur sententia. Verbo *ῥητορεύοντες* tam sophistas, quia publice declamabant, quam caussarum oratores comprehendere potuit. Rationem utrorumque pariter cum deceptione,

---

1 God. Wetzlar, Comm. de Aet. Vita Scriptisq. Luc. Marburg 1834, p. 29. F. G. Sohoene, Luc. Traum. u. a. Halle 1838, S. 5. Respicit eam Wieland, Th. I, S. VII. Ab Hermanno autem in eandem sententiam accipitur Bis Acc. c. 32; Pisc. c. 25. Allgem. Schulz. 1832, S. 806.

2 Piscat. c. 29.

3 Id quod praeterea apparet coll. Pisc. c. 25 cum Bis Acc. c. 27 et 32.

audaciâ, clamore, caeterisque, a quibus se refugisse testatur, incommodis, conjunctam ipsi visam esse etiam datâ operâ in *Rhetorum Praeceptore* ostendit [1]. Denique eam non a juvene potius, sed, ut in *Bis Accus.* [2] affirmat, paene quadragenario relictam esse apparet ex eo, quod statim subiungit: se optasse *ὁπόσον ἔτι λοιπὸν τοῦ βίου* [3] sub philosophiae tutela vivere; utpote quae verba sunt hominis, qui bonam aetatis partem jam praeteriisse sentiat.

Spectatis Luciani locis, in censum nobis veniat testimonium Suidae. Hic postquam, exquisitis conviciis cumulatum, Lucianum in Trajani tempora detulit, sic porro dicit: *ἦν δὲ οὗτος τὸ πρὶν δικηγόρος ἐν Ἀντιοχείᾳ τῆς Συρίας, δυσπραγήσας δὲ ἐν τούτῳ ἐπὶ τὸ λογογραφεῖν ἐτράπη, καὶ γέγραπται αὐτῷ ἄπειρα.* Quod quidem testimonium, qui pro vero amplexi sunt, ita cum Lucianeis componere studuerunt, ut statuerent, eum primum Antiochiae caussidicum fuisse, deinde ad quadragesimum annum aetatis in variis regionibus rhetoricam exercuisse [4].

Atqui primum notandum, ejusmodi distinctionem

---

[1] Conf. Pisc. 29: *ἀπάτην καὶ ψεῦδος καὶ θρασύτητα καὶ βοήν.* cum Rhet. Praec. c. 22: *τὸ ψεῦδος πρόχειρον. κ. τ. λ.* c. 15: *θράσος -τόλμαν καὶ ἀναισχυντίαν-καὶ βοὴν ὅτι μεγίστην.*

[2] Bis. Accus. c. 32.

[3] Solanus adeo ad haec verba monendum esse duxit: « cave hinc provecta jam aetate fuisse colligas, cum ad otium se contulit; alibi enim diserte XL annum notat. »

[4] Gilb. Cognat., in Elogio Luc. in Praef. Basil. Edit. III, a. 1563. Suidae

non esse apud Suidam; tum vero, perlecto, quem vidimus, loco Luciani *Bis Accusati* [1], sponte mentem subit, quo tandem vitae tempore Antiochiae caussas egerit. Qua de re duas tantum disertiores sententias novimus; quas igitur videamus.

Ex altera caussidicus Lucianus fuerit antequam in Ioniam migraret [2]; sed tum illi nec tempus, neque peritiam suppetivisse ad ejusmodi officium obeundum facile apparet, quum *κομιδῇ μειράκιον* jam illic fuerit, *πλαζόμενος ἔτι καὶ ὅ τι χρήσαιτο ἑαυτῷ οὐκ εἰδώς* [3].

Alterâ [4] statuitur, Lucianum in Antiocheno foro versatum fuisse postquam jam in Ionia et Graecia aliquamdiu fuisset, nec tamen illic rhetoricam exercuisset, antea vero quam in Italiam migraret, ubi demum sophistarum more eum declamationes habere coepisse. Juncta est haec sententia alii, qua colloquium

---

in gratiam, totum Luciani rhetoricum stadium Antiochiam transtulit. Bourdelotius autem primum Suidae sententiam ita ut dixi explicuit, vide hujus Vitam Luc., ex Ed. Paris, 1615, in Reitzii Syllog. p. XLII, cum Fabricii notis. Quem plures deinde secuti sunt.

1 C. 27, Cf. supr. p. 16.

2 Quae est E. Ae. Struvii, in Specim. I, de Luciani aetate, Gorlic. 1829, p. 3.

3 Bis Acc. c. 27. Potuit quidem Lucianus inter tempus quo *πρόσηβος* sive *ἀντίπαις* (Somn. c. 1 et 16.) in parentum domo fuit, atque id quo *κομιδῇ μειράκιον* in Ionia erravit, aliquamdiu Antiochiae versari; *μειράκιον* enim dici poterat etiam is qui adulto paullo major esset, uti, Philopseud. c. 37 coll. c. 27, ita vocatur qui *ἤδη ἐξ ἐφήβων* est. Praesertim quum probabile sit Lucianum in Bis Acc. ex persona iratae Rhetoricae eo nomine suam aetatem designasse, quod maxime ejus tenuitatem et imbecillitatem declararet.

4 God. Wetzlari, in laudat. Comment. de Aetate, Vita Scriptisque Luciani, p. 28, sqq.

Amores inscriptum Luciano vindicatur. Scriptor hujus inverecundissimi operis iter enarrat, in quo, quum e Syria [1] in Italiam [2] navigans, ad Rhodum et Cnidum appulisset [3], socios inde a Rhodo adsumsit duos ipsi familiares Graecos homines, alterum puerorum, alterum mulierum amatorem [4]; quorum exhibet disputationes de utroque amoris genere [5].

Plerique tamen interpretes hunc libellum nostro abjudicarunt [6], propter sophisticum nimis et a Lucianeo prorsus discrepantem stilum. Hujus contra discrepantiae [7], quae sane incredibilis est, idoneam alii

---

1 Ut apparet Amor. c. 7.

2 Amor. c. 6 et 10.

3 Ibid. c. 8 ct 11.

4 Ibid. c. 10.

5 Amor. c. 19—28, 30—49. Colloqium autem agitur inter Lycinum et Theomnestum qnemdam, utrique amoris generi vehementer deditum (c. 2 et 6), a quo, post brevem Lycini epicrisin (c. 51. *γαμητέον μὲν ἅπασι, παιδεραστεῖν δὲ ἐφείσθω μόνοις τοῖς σοφοῖς· κ. τ. λ.*) turpissima peroratio disputatis additur, c. 53. sq.

6 Quos vide recensos apud Lehmann. ad titul, libr. T. V, p. 566 sq. C. G. Jacobus, qui in iis numeratur, sententiam suam (Bibl. Critic. Hildes. a. 1822, part. 1, p. 195 et Proleg. ad Toxarin, Ed. 1826, p. VIII) postea mutavit, in Charakt. Lucian. S 30, ubi Luciani sententiam de institutione ex Amoribus illustravit S 31, 33 (Amor. c. 44, 45); in quo eum secutus est Dr. Fr. Cramer, Geschicht. d. Erzieh., Bd. II, S. 721 sq. — Guil. Dindorf, in Ed. Paris. Didotii 1840, tamquam spurium libellum notavit. (Wieland. Th. III, S. 282, in Imagin. c. 4. opportunitatem operis hujus subornandi fuisse, non sine caussa suspicatur.)

7 Si quis cupiat specimen videre. Auctorem initium facturum *τῆς ἀποδήμου στρατείας* comitabatur *παιδείας λιπαρὴς ὄχλος*, qui ab eo *ἀνιαρῶς διεζεύγνυντο*, c. 6. Sermones in itinere instituti *σπουδὴν ἱλαρὰν ἅμα καὶ παιδιὰν εὔμουσον* habebant, c. 53. Ipsi autem, jam *σφόδρα διψῶντι τοιαύτης ἀνέσεως, εὔκαιρος ἡ τῶν ἱλαρῶν σου (Θεομνήστου) λόγων ἐρρύη χάρις·* c. I. Namque *ποθοῦσι—οἱ φιλότιμοι πόνοι μικρὰ τῶν ἐπαχθῶν φροντίδων χαλασθέντες εἰς ἡδονὰς ἀνίεσθαι*, c. 1.

apud Lucianum caussam deprehendisse sibi videntur[1], in eo, quod Asianae rhetoricae alumnus, eo tempore, quo scriberet *Amores*, admodum juvenis ex Oriente, nempe Antiochiâ, nuperrime in Italiam advenisset; id, quod testentur vividi et quasi recentes in rebus enarratis colores. Quo igitur sumto, tam Luciani *Amoribus*, quam Suidae testimonio auctoritas constet. Verum accidit, ut iter in *Amoribus* memoratum plane non possit haberi pro eo, quo Lucianus juvenis in Italiam profectus est. Hic enim diserte retulit se tum in Italiam venisse, non e Syria, sed *e Graecia*, *trajecto Ionio sinu*, et quidem postquam jam per Graeciam atque Ioniam aliquam in rhetorica celebritatem nactus fuisset [2]. Quum autem seriore vitae tempore et subactiore

---

[1] Conf. C. Fr. Hermann, Allgem. Schulz. 1832, S. 804 et God. Wetzl., laud. comm. p. 18. Solanus ad tit. libri ambigit, « certe, inquit, si Luciani opus sit, juvenile est, priusque scriptum quam facilem, quem in eo miramur, et versatilem stilum consecutus esset. »

[2] Bis Acc. c. 27, *κλεινὸν αὐτὸν καὶ ἀοίδιμον ἐποίουν–καὶ τὰ μὲν ἐπὶ τῆς Ἑλλάδος καὶ τῆς Ἰωνίας μέτρια, ἐς δὲ τὴν Ἰταλίαν ἀποδημῆσαι θελήσαντι αὐτῷ τὸν Ἰόνιον συνδιέπλευσα.* Dissimulavit hanc discrepantiam Wetzlar. ubi, l. l. p. 35, de scriptore Amorum dixit: « *Scimus* eum inde (a Cnido) *in Graeciam* profectum et per breve tantum temporis spatium ibi commoratum fuisse; mox enim viginti quinque annos natus e Graecia in Italiam navigavit. » Auctor Amorum e Syria navi sibi instructâ instituit *'επ' Ἰταλίαν πλεῖν* (c. 6.); in itinere socios in navem suam recipit Corinthium et Atheniensem (c. 9), quippe qui item cogitarent *εἰς τὴν Ἰταλίαν ἀπαίρειν* (c. 10). Jam prorsus improbabile est eum Graecos homines, quos in Italiam ducendos adsumsisset, in ipsam Graeciam reduxisse. Praeterea plane apparet, illud iter quo Lucianus e Graecia navigat in Italiam, non partem quamdam esse navigationis e Syria factae, sed ex ipsa Graecia institutum fuisse. Caeterum quod ipso quinto et vicesimo aetatis anno in Italiam pervenerit, ductum est e collatione dialogi Nigrini cum Hermotimi, c. 24 et c. 13; de cujus dialog. aetate cur aliter sentiamus infra exposuimus.

ingenio Lucianus, si quando e Syria in Italiam navigasset, ipsis libri defensoribus judicibus, non tam affectato stilo suum iter descripturus fuisset, statuendum esse videtur hoc quidem ab alio quodam factum descriptumque fuisse, ideoque *Amores* non esse Luciani.

Porro huic sententiae praesidium quaeritur in iis locis, ubi Lucianus significat se aliquando in Syria, Phoenicia, Aegypto fuisse, quas igitur regiones cognoscendi caussa eo tempore invisisset, quum juvenis Antiochiae caussarum patronatu se abdicavisset. Quum vero noverimus eum senem, tum in Aegypto publico munere functum esse [1], tum, fortunae, ut videtur, conversione afflictum, certe denuo coepisse sophisticas recitationes habere [2], vero similius est, cum illas quoque regiones provectiore aetate adiisse et tam recitationes, quam libellos in quibus Aegypti et Orientis mentio fit, tum demum ab eo conscripta fuisse, quum munere suo excidisset [3].

Quodsi ipsos libellos inspicias, omnino habent quo

---

[1] Pro Merc. Cond. c. 12.

[2] Vid. Bacch. c. 6, 7, et in pr. Hercul. Gallic. c. 7, 8. His adjungenda videtur recitat. Dipsades inscripta, in qua non diserte quidem dicit, attamen ostendit se esse senem, immani comparatione, c. 9 coll. 4, qua senilem loquacitatem illustrat.

[3] Quamquam in Apologia de Merc. Cond. c. 1 et c. 4. *ἐν γήρᾳ ὑστάτῳ* se esse dicit, tamen quum speraret (ibid, c. 13) fore ut per munus quo tum fungeretur, etiam ad majora perveniret, non nimis urgenda est senectutis notio. Porro ex eo libello (conf. c. 10, 11) non videri eum rerum angustiis ad suscipiendum munus coactum fuisse, jam Wielandus monuit, Th. I, S. X. Comprobatus a Lehmanno in adnott. ad Reitzii syllogen, p. LXX, n. 19. In Hercule contra Gallico, c. 7, 8, non possumus non aflictum senem agnoscere; quocirca post susceptum munus fortunae vices expertus esse videatur.

eam opinionem admittant vel etiam commendent. *Soloecistae* s. *Pseudosophistae* scriptor non modo viserat Aegyptum, sed satis diu ibidem vixerat. Refert, se illic συγγένεσθαι [1] cum quodam Socrate a Mopso; quod non de congressu, qualis in itinere fiat, sed de longiore consuetudine interpretandum esse, ostendit commemoratio tot soloecismorum [2], propter quos diversis temporibus ille Socrates peccantes illusisset [3].

In declamatione *Apophrade* s. *Pseudologista* Timarchus quidam vexatur, qui nostrum scriptorem irriserat, eumque barbarismi insimulaverat, in usu nominis ἀποφράς [4]. Singularis acerbitas, qua ea injuria vindicatur, vel optime explicatur in homine, qui jam prius literarum laude ornatus senex ad rhetoricam redire coactus fuerat.

---

1 Soloec. s. Pseudos. c. 5.

2 Ibid. c. 5—7.

3 Guyetus et La Croze Soloecistam Luciano abjudicarunt. Reitzius et Solanus (vid. hunc ad c. 5.) et Rankius, Pollux et Lucianus, Comment. 1831, p. 23. addubitarunt. Et sane quod compluria ab ejus auctore reprehenduntur, quae ipse Lucianus et optimi Graeci auctores passim usurpaverunt (conf. omn. Graevii Comm. ad h. libr.) non poterat explicari statuendo Lucianum in iis per irrisionem sophistarum de industria ὑπεραττικίζειν. quia juxta ista, etiam crassi soloecismi notantur (qualis ex. c. est ille, c. 8 et 9, κατὰ σᾶς αὐτοὺς διήλθομεν), quibus ejusmodi irrisionis efficacitas prorsus tolleretur. Dialogi porro forma, etsi aliquam excusationem habet, ob artificiosum stribiliginum intextum, omnino invenusta est (videatur Socraticae inductionis affectatio in falso syllogismo ad initium, c. 1; sermonis redintegratio et abruptus finis, c. 8 et 12.) et longe plus arrogantiae (vid. c. 12. ἐγὼ δὲ οἶδα κ. τ. ἑ.) quam salis ostendit, cui praeterea erga mite ejusmodi et stolidum ingenium quale soloecistae fingitur, vix locus fuerat. Itaque si Luciani opus sit, etiam ex his pro senilis potius, quam pro vigentis aetatis fructu habeatur.

4 Aprophras s. Pseudol. c. 1 et 11. — Ephesi scriptus est lib. vid. c. 10. quo loco significari videtur Lucianum ante id tempus, tam in Oriente et Aegypto, quam in Italia et Graecia fuisse.

Liber *De Luctu* Epicuream sententiam refert [1], cui seniorem in primis multum Lucianum tribuisse videbimus; atque crudiore quodam argumentandi frigore [2] eam aetatem prodere videtur, qua diuturna errorum irrisio sensum humanitatis apud Lucianum aliquantum debilitasset.

In libro denique de *Syria Dea* Hierapolitanum templum et sacra describuntur. Ejus scriptor Assyrium hominem se esse affirmat, qui Tyrum, Sidonem, Byblum atque Libanon invisisset [3]. Dialecto autem et scribendi genere Herodotum imitatur. Si Luciani hoc opus est, quod plures, fortasse injuria, addubitarunt [4], commode pro sophistico provectae ejus aetatis lusu haberi potest. Ex eo quod scriptor in fine libelli dixit

---

1 Confer. in pr. De Luctu, c. 16 in fine; praeterea tam sententiae quam formae magna est similitudo inter illum librum et librum de Sacrificiis (ut observatum jam fuit a Wielando et Lehmanno ad libr. titul.). In hoc autem non solas *fabulas* aut *sententias* de diis illusit, verum ipsum adeo *cultum* (*τὰς θρησκείας*) tam aperte et hostiliter aggressus est, ut certo statuere liceat eum provectioris opus esse. Vid. c. 1 et c. 10 sqq.; de quo infra pluribus exponetur. Librum de Sacrificiis item scriptum esse postquam Lucianus inter Aegyptios versatus fuisset, colligimus ex c. 14, *ἢν δ' ἐς τὴν Αἴγυπτον ἔλθῃς, τότε δὴ τότε ὄψει πολλὰ τὰ σεμνὰ κ. τ. λ.* c. 15.

2 Vid. ex. c. De Luctu, c. 13. — Lucianus tum in Aegypto fuerat, c. 21. *λέγω δ' ἰδών*, ad quem locum, uti ad Soloecist. c. 5. Solanus notat « scriptum esse post reditum in Aegypto, pro Merc. Conduct., cum antea illic fuisse non constet. » Mihi quidem nunc e Luc. Navig. s. Votis c. 23. etiam constare videtur eum certe, antequam hunc dialogum scripserit, non in Aegypto, fuisse; scripsit autem quum jam in otio Athenis viveret, vid. passim et c. 15, 33.

3 De Syria Dea, c. 1, 3, 4, 6, 9.

4 Quos vide apud Lehmann. ad. tit. libri, T. II, p. 383, et Fr. V. Fritzschium, Quaest. Luc. p. 209, qui cum Wielando, Th. V, S. 289, et in adnott. eum Luciano vindicant; item C. Fr. Hermann, in Allg. Schulz. l. l. S. 808.

se *νέον ἔτι ὄντα* in Hierapolitano templo pro more accolarum sacrum a nativitate cincinnum dicasse, minime sane effici debuit [1], Lucianum id tum fecisse, quum, relicto, quod dicunt, Antiocheno foro, in Oriente peregrinaretur [2]. Potuit per Samosatorum et Hierapolis vicinitatem, huic mori obtemperare, quum etiam in parentum domo versaretur, vel quum primum eam reliquerat. Neque per eandem locorum vicinitatem improbabile sit, eum tum, anteaquam in Ioniam iret, eruditionis opportunitatem sibi quaerendo, aliquamdiu Antiochiae commoratum fuisse, quam urbem semel, quod novimus, commemoravit in libro de *Saltatione* [3]. Itinera vero in Syria et Phoenicia, quae in libro de *Syria Dea* significantur, certe provectiore potius aetate fecerit [4], quam anteaquam pauper juvenis ad rhetoricam accederet, aut quo tempore, ex Suidae testimonio δυσπραγήσας, judiciis valedixisset.

Non committimus in hisce, ut conjectandi audaciâ aliorum conjecturis respondeamus. Sed quae ipse Lucianus de rebus suis tradidit ejusmodi sunt, ut neque eae, quas censuimus, sententiae probari, neque omnino

---

[1] Wetzlar. l. comm. p. 33.

[2] Quamlumvis enim juvenem Lucianum a foro refugisse statuas, vel sic incredibile sit, eum et in Ionia et Graecia, dum rhetoricam disceret, et Antiochiae, dum caussas oraret, constanter sacros capillos submisisse, quos Hierapoli aliquando deponeret.

[3] De Saltatione, c. 76. Nescio unde maxime hoc habeat Wielandus, ubi, Th. IV, S. 373, ad eum locum affirmat: Lucianum provectiore aetate saepe Antiochiae commoratum fuisse.

[4] Neque significat Lucianus reliqua itinera et capillorum dedicationem circa idem tempus facta esse; nec si, quum scriberet libellum, *nuper* facta haec dedicatio fuerat, convenisset addere *καὶ ἔτι μεῦ ἐν τῷ ἱρῷ καὶ ὁ πλόκαμος καὶ τὸ οὔνομα.*

Suidae testimonium cum iis conciliari possint [1]. Non potuit Lucianus in *Bis Accusato* Rhetoricam ita loquentem inducere, ut memoratis itineribus, quae uxor marito suo per Ioniam, et Graeciam facere concessisset, deinde plane omissâ totâ in Syriam migratione, conquereretur navigationem a Graecia in Italiam factam, quasi hoc demum remotius iter fecisset. Nec rursus si Antiochiae quidem caussas orasset, per totam vero reliquam vitam et in ipsis Graecorum oculis sophista tantum fuisset, probabilis fingi caussa poterat, cur in *Piscatore* Athenis reviviscentes philosophi, quum Lucianum reum agerent propter scriptorum genus, quod paene quadragenarius demum inchoaverat, huic forensi muneri tantum tribuerent, ut propter illud memorarent ejus *ἐν τοῖς δικαστηρίοις εὐδοκιμήσεις* [2], quasi ab iis recessisset ut in ipsos impetum suum converteret.

Simul iccirco rejiciendam censemus eam opinionem, ortam e studio conciliandi Suidam cum scriptis Lucianeis, quasi jam admodum juvenis Lucianus peculiari quadam et generosa animi conversione a perversis aequalium artibus ad philosophiae studium se contulisset, propter paupertatem illud duntaxat cum rheto-

---

[1] Jam Wielandus, Th. 1, S. VII, et Fr. G. Schoene, Luc. Traum cett. Halle 1838, S. 5. quamquam statuunt Lucianum peculiari quadam vitae consiliique mutatione a caussis dicendis ad scholasticam eloquentiam transiisse, tamen quum caussidicum eum fuisse putent in Graecia et Asia Suidae testimonium tacite rejiciunt. Rankius denique in doctissima comment. Pollux et Lucianus inscripta p. 26, strictim notavit Lucianum « non tam Antiochiae quod Suidas ait–fortasse hujus Luciani cum seriore illo, qui Juliani aetate vivebat commutatione facta in errorem conjectus, — quam Athenis, *missâ caussidicorum arte, ad scribendos dialogos accessisse.* »

[2] Piscat. c. 25.

rica primo conjunctùm. Ejusmodi consilii mutatio per juveniles Luciani annos instituta ex ejus scriptis non satis apparet. Proprio ille quidem modo, verumtamen in dominantibus illius aevi rhetoricis studiis, tamdiu versatus videtur, donec perfecto ingenio, sed plus dimidiâ aetatis parte confectâ, ab iis se ipse sejungeret, ut aequalium irrisor ac censor per reliquam suam vitam, nova plane et singulari via insisteret.

IV.

DE LUCIANI SCRIPTIS SOPHISTICIS.

E scriptis Luciani, quae ad nostra tempora pervenerunt, longe plura referenda sunt ad posteriorem vitae partem, quam ad eam, de qua nunc agimus, juvenilem atque sophisticam. Sophistica autem indoles, quum in quibusdam sponte appareat, in aliis difficilis est existimatu. Nam, quod supra monuimus, ad magnam formae et argumenti varietatem artem sophistarum se extendisse, id ejusmodi est, ut in legendo dubius interdum sis, formaene commendatio in pertractanda materie a scriptore potissimum respecta fuerit, an plane serio et proprio quodam consilio res agatur. Itaque ubi externa, quod in plerisque accidit, indicia absunt, sententiae oportet rationem et libri omnino characterem cum peculiari illo charactere conferre, quem maturum Luciani ingenium ipsius scriptis impressit. Cujus quidem distinguendi rationis

jam exemplum dedit Hermannus [1], qui recte etiam monuit ea Luciani scripta, quae non habeant satiricae rationis manifestam significationem, si pauca quaedam excipias, prioribus fere quam posterioribus potius adnumeranda esse.

Excipienda autem sunt, nonnulla a seniore peculiaribus opportunitatibus conscripta, ut apologia *Pro Mercede Conductis*, et *Pro Lapsu inter Salutandum* et ea sophistica opuscula ut *Bacchus*, *Hercules*, alia pauca, quae monuimus ab admodum sene conscripta videri. Tum etiam maxime vigentis aetatis unum et alterum, in quo sophisticam formam adhibuit ad commendanda satirica scripta, qualia sunt *Prometheus in Verbis*, et fortasse *Zeuxis s. Antiochus*; vel in quibus remoto omni severiore consilio, nunc vitam et mores descripsit, nunc festivo ingenio lusit; hujusmodi sunt *Meretricii Dialogi* et complures *Dialogi Deorum*, *Verae Historiae*, et si quidem Luciani sit opus, lepidissima fabula *Asini*.

Praecipua enumerabimus, quae putamus sophistica esse scripta atque juvenilia Luciani studia declarare.

Et primum, quod ex ejus vita et rebus nobis apparuit, satis superque testantur sophistica ejus opera, eum in dicendi laude persequenda singulare diu studium posuisse. Luculenter in primis hoc produnt breviores illae προλαλιαί [2] sive rhetoricae praefationes,

---

1 C. Fr. Hermann, in Allgem. Schulz. 1832, S. 808. Secutus cum est God. Wetzlar, in supr. laudat. Comment. p. 52.

2 Vid. titul. Bacchi et Herculis, in Edit. Jacobitzii, cum ll. Codd. T. III, p. 225. 231.

quibus recitandis auditorum benivolentia captari solebat. Ejusmodi sunt *Harmonides*, *Herodotus s. Aëtion*, *Scytha s. Hospes*, *Electrum s. Cycni*. Exemplum sit ex *Harmonide*, ubi, nobilissimo cuidam viro se ipse commendans [1], nomen profitetur in iis, ὅσοι δόξης ὀρέγονται δημόσιόν τι ἐπιδεικνύμενοι, τοῦ παρὰ τῶν πολλῶν ἐπαίνου δεόμενοι [2], atque exinde affirmat jam stare per hujusce patroni judicium, ut vere censeatur ἄριστος κατὰ παιδείαν [3]. Similiter in *Herodoto*, coram Macedonum conventu ad dicendum in medium progressus: ὁ μὲν ἔρως, inquit, οὗτος ἦν ἅπασιν ὑμῖν γνωσθῆναι, καὶ ὅτι πλείστοις Μακεδόνων δεῖξαι τἀμά [4].

Hoc studio quum duceretur, mirum profecto esset ni ad judicium sui aevi se conformavisset et sibi quoque ea dicendi argumenta sumsisset, quibus praecipuae ferme laudes sophistis haberi solebant. Ita eum fecisse testantur scholasticae quaedam, etsi pauciores eae, declamationes ex omnium pervulgatissimo genere τῶν μελετῶν. Sunt illae maxime *Abdicatus*, *Tyrannicida* et uterque *Phalaris*.

Abdicati absurdum argumentum adeo non proprium est Luciani, ut prorsus idem apud Senecam habeatur [5], ipsumque libellum, nescio quam recte, Luciano nonnulli abjudicaverint [6]. *Tyrannicidae* item diu inter

---

1 Harmon. c. 3, 4.

2 Ibid. c. 3.

3 Ibid. c. 4.

4 Herod. s. Aët. c. 7.

5 In M. Ann. Senec. Excerpt. Declam. l. IV, controv. 5. titulo Privignus medicus.

6 Lehmann. T. V, p. 357 adv. Belinum tuetur. Abjudic. item Fuhrmann, in Handb. der Class. Litt. Th. II, S. 506.

solennia controversiarum argumenta fuerunt [1], ventosae et enormi, quam Petronius appellavit, declamatorum loquacitati in primis opportuna materies, quam tamen cum arte et elegantia pertractasse Lucianus a viris doctis censetur [2]. Phalaris denique referendus ad illas *ἀδόξους* sive *πονηρὰς ὑποθέσεις* [3], in quibus ipsa deterior caussa oratoriae facultatis laudem augebat. In priore, famosus Agrigentorum Tyrannus aeneum suum taurum Delphos donarium mittit, et per legatos ita a crudelitatis culpa se liberat, ut tantum non humanissimum mortalium eum esse appareat [4]; in altero, Delphorum quidam sacerdos suasoriam dicit pro accipiendo dono.

In alio praeterea genere, non perinde declamatorio sed exquisite tamen sophistico, calamum Lucianus exercuit, nempe quo exiguum aut futile negotium facetiis atque pigmentis adornaretur ad rhetoricam recitationem. Fuerat antiquitus jam in illo sophistarum studium positum, nec recentiore tempore optima quaedam ingenia illud aspernata fuerunt; uti in Dionis Chrysostomi sophisticis scriptis [5] *Culicis* encomium

---

1 Vid. Tyrannicidas apud M. Ann. Senecam. l. I, contr. 7; l. II c. 13; et Excerpt. Declamat. l. III, contr. 6; l. IV, c. 7. Dial. de Oratt. c. 35. « Tyrannicidarum praemia-aut quidquid in schola cottidie agitur. » Luc. de Salt. c. 65, *τῶν μελετῶν πρόσωπα-ἀριστεῖς, ἢ τυραννοκτόνοι κ. τ. λ.*

2 Impense Tyrannicidae et utriusque Phalaridis artem dilaudavit Wielandus, Th. VI, S. 245, 303. Tyrannicidam quoque sunt admirati Erasmus et Thom. Morus, qui Latinis declamationibus Lucianeae responderunt, quas vid. in Luciani quibusd. libellis, Erasmo interpret. Basil. 1517. ap. Froben.

3 Quales vid. apud Cresoll. in Theatr. Rhet. l. III, c. 9. p. 104 sqq.

4 Vid. Phalar. pr. c. 6, 8.

5 Synesii Dion. in Dion. Oratt. ed. Reiske, Vol. I, p. 19. Etiam psittacum laudavit Dion, Synes. p. 13, 15. Quam ubi memorat Philostr. V. S.

fuit. Consimilis argumenti Lucianus oratiunculam fecit, in qua *Muscae* formam et virtutes explicavit, in primis singularem, et ab Homero olim celebratam fortitudinem [1], atque immortalem ejus naturam [2]. Idem habet genus sed deteriorem notam longa disputatio *de Saltatione*, quae prima quidem fronte irrisio esse videatur levissimae artis sophisticae, verum reapse specimen ejus exhibet. Cum multa doctrinae ostentatione [3] primum in illo universae saltationis antiqua auctoritas et historia enarratur, deinde pantomimorum nominatim praestantia exponitur: ut eorum ars conjuncta sit cum omni studio humanitatis, et prae tragoedia et comoedia [4] et gymnastica [5] multum excellat, denique una in paucis efficax sit ad conformandos emendandosque mores [6].

Iam ejusmodi libellorum licet jure quis artem admiretur, profecto nemo negabit universam rationem

---

lib. I, 7. § 1. Olear. p. 487, subjungit: *καὶ ὁπόσα οὐχ ὑπὲρ μεγάλων ἐσπούδασται τῷ Δίωνι, μὴ μικρὰ ἡγώμεθα, ἀλλὰ σοφιστικά· σοφιστοῦ γὰρ τὸ καὶ ὑπὲρ τοιούτων σπουδάζειν.*

[1] Musc. Encom. c. 5. Iliad. XVII, 570.

[2] Musc. Enc. c. 7. Reprehendendum esse Platonem quod hoc solum argumentum omiserit; mortuam enim muscam insperso cinere denuo in vitam suscitari.

[3] Vid. de Saltat. c. 33, 35, 61.

[4] De Saltat. c. 27.

[5] Ibid. c. 71.

[6] De Salt. c. 6, 72, 79, 81. Recte Wielandus, Th. IV, S. 433, cum immodicis Luciani laudibus contulit Juvenalis Sat. VI. v. 63—66. — Non dubitavimus hoc opus in juvenilibus Luciani scriptis reponere: nam quamvis dubitationem fortasse cui afferant c. 2, 83, 76 non satis tamen, in iis locis momenti esse videtur, conf. quoque supr. nobis notat. p. 21, adn. 3. p. 27, ibique adn. 3.

mirum quantum abhorrere a propriae illo sapientiae fructu, quem florentis Luciani aetatis scripta ostendunt.

Sententia et forma in aliis peculiaribus accommodata est rhetoricis opportunitatibus. Ut in *Hippia* et libro *De Domo* inscripto, in quibus, pactâ puto mercede, recens exstructa balneum et oecum prolixa descriptione commendavit [1].

Hoc item in primis valet de Pantheae laudatione in duobus colloquiis, quae sunt *Imagines* et *Pro Imaginibus*. Quamquam sophisticâ haec indole multo magis quam aetate, qua scripta sint, inter priora Luciani scripta referenda putamus. Tantus in iis ornatus est, ut si ficta, ut quidam opinantur, illorum materies esset [2], jure omnino pro junioris scriptoris operibus habenda viderentur. Nunc, quoniam ex ipsis libris [3], collatis cum scholio ad titulum alterius et loco in M. Aurelii libris [4], nimis manifesto apparet, veram

---

[1] Conf. Hippias, c. 8, et Wieland, Th. IV, S. 459. Oeci laudatio simul rhetorica est praefatio, vid. de Domo, c. 32, in qua pavonis instar, cui se ipse comparat, *τὴν οὐρὰν ἐπάρας καὶ πάντοθεν αὐτῷ περιστήσας ἐπιδείκνυται τὰ ἄνθη τὰ αὑτοῦ.*

[2] Quae Wetzlari sententia est, in Comm. de Script. Luc. etc. p. 38, et alterius Schol. ad titul. lib. Pro Imagin. Conf. etiam Herm. in Allgem. Schulz. 1832, p. 808.

[3] E modo quo passim, v. c. Imag. c. 10, 15 (coll. Pro Imag. c. 24.) 17, 20, 21 nomen, patria et res Pantheae strictim designantur, dubitari non potest, quin revera ea fuerit quae laudetur; inutilis plane affectatio foret in *fictione* earum rerum, in quarum *designatione* contra egregia ars conspicua est. Tum apologiae caussa et ratio, si prioris libri ficta materies fuerit non intelligitur; quomodo enim incusatio adulationis (vid. Pro Imag. c. 1 et c. 14.) ab auditoribus moveri potuisset?

[4] Salmasii emendatio loci M. Antonini Comm. l. VIII, sect. 37. *Μήτι νῦν παρακάθηται τῇ τοῦ κυρίου σορῷ Πάνθεια;* legentis

Pantheam exstitisse, amicam eam L. Veri, temporum et locorum ratio jubere videtur ut eos referamus ad id Luciani tempus, quo jam relictâ Galliâ, anteaquam Athenis consideret, patriam suam inviserit [1].

Oratoriorum igitur flosculorum lascivia ita solum explicatur si Luciano credimus, hanc Pantheam, etsi intemperantioris imperatoris amicam, egregiam plane amabilemque puellam fuisse, eandemque ornatam, eâ artium ac literarum varietate, qua luxuriantem serioris aevi indolem eximiâ cum venustate referret [2], et si porro statuimus Lucianum, quum in priore colloquio ex praestantissimis quibusque artificum operibus et nobilissimis variarum virtutum exemplis divinam quamdam speciem fingeret, eamque quasi propriam ipsius imaginem ei dedicatam in vulgus ederet [3], non quidem sine vera sua illius admiratione id fecisse, verumtamen eo modo ut compositionis suae formam atque colorem quantum maxime posset ad illius judicium ingeniumque concinnare studeret.

Nimia et effusa laudatio justam caussam non affert, ut negemus potuisse Lucianum eâ formosam mulie-

---

τοῦ Οὐήρου pro *τοῦ κυρίου*, profecta e collatione scholiorum ad Luc. Imag. c. 10, et Pro Imag. c. 1, ejusmodi est, ut cum Schultzio (vid. adnott. ad M. Anton. Edit. Stereot.) dixerim prope nefas videri de ea dubitare. Conf. porro Lehm. adn. ad Imag. tit.

[1] Nimirum ad tempus Parthici belli referenda sunt, quo L. Verus in Oriente fuit.

[2] Imag. c. 16. *ποικίλην μέντοι, καὶ πολύμορφον* (*τὴν παιδείαν*), infr. *οὐ γὰρ ἔσθ᾽ ὅ τι τοιοῦτον ἐν τοῖς πάλαι παιδείας πέρι μνημονεύεται.*

[3] Priorem librum non ipsum coram muliere recitasse, sed in vulgus edidisse, vid. Imag. c. 23. Pro Imag. c. 12. et c. 14, *τὸν λόγον ἤδη διαδεδομένον.*

rem ornare; quin lenius ea ferenda est in eo, qui quum ipse non minorem encomio quam poësi propriam esse censeret licentiam [1], et ea aetate viveret, qua immoderatissimae laudes plane solennes erant, tam raro caeteroqui hac libertate abusus est.

Pantheae tamen, meticulosius adversus deos affectae [2], religionem injecisse apparet, quod a nostro cum ipsis deabus comparata fuisset. Hunc scrupulum Lucianus ei ademit, altero ingeniosissimo in paucis colloquio, quod jam, ni fallor, ad eam admissus, praesente ipsâ recitavit [3]; eo quidem modo, ut novam laudandi materiem ex mulieris erga deos pietate derivaret. Praeclara inde commendatio maximae erga divinum numen religionis [4]. Quam si retractanda sibi oratio foret, caput et verticem totius operis imagini se additurum affirmat.

Jam quum accidisset ut in priore colloquio *eruditionem* (*παιδείαν*) [5] quidem pulchrarum rerum omnium principem, et *modestiam* [6] mulieris, qua non supra

---

[1] Pro Imag. c. 18. *καίτοι παλαιὸς οὗτος ὁ λόγος, ἀνευθύνους εἶναι καὶ ποιητὰς καὶ γραφέας, τοὺς δὲ ἐπαινοῦντας καὶ μᾶλλον, οἶμαι κ. τ. ε — ἐλεύθερον γάρ τι ὁ ἔπαινος.* Conf. de diversâ encomii et historiae naturâ Luc. judicium, Quom. Hist. Consc. c. 7.

[2] Pro Im. c. 7, 12.

[3] Praesente ipsâ Luc. alterum librum recitasse colligas ex Pro Im. c. 16, quo sumto et hic loc. et inventio totius libelli egregiam in pr. urbanitatem habet.

[4] Pro Imag. c. 17, *σκόπει γοῦν, ἡλίκον τοῦτο παρέλιπον, ὡς παμμέγεθες εἰς ἐπίδειξιν τρόπου χρηστοῦ καὶ γνώμης ὀρθῆς· ὡς ὅσοι τὸ θεῖον μὴ ἐν παρέργῳ σέβουσιν, οὗτοι καὶ τὰ πρὸς ἀνθρώπους ἄριστοι ἂν εἶεν. κ. τ. ε.*

[5] Imag. c. 16.

[6] Ibid. c. 21.

humanum modum fortunae fiduciâ se ipsa efferret, primariam ejus virtutem laudaret, sed pietatem erga deos in liberrime conficto perfectionis exemplo ne verbo quidem attingeret, promptum est intelligere quam parum oporteat ex iis pietatis laudibus, quas in altera laudatione posuit et ampliavit, ipsius scriptoris animi sententiam percipiendam esse putare.

Ad sophistica porro opera quaedam ethicae Luciani disputationes referendae sunt [1].

Liber *De non temere credendo Delationi* gravem continet expositionem abjectarum artium, quibus in mutuâ hominum ignorantiâ occultae accusationes in animos sese insinuent et inopinatam insontibus perniciem struere soleant. Sermonis autem granditas ac rhetorici loci communes [2] passim testantur declamationem hanc esse potius quam hortationem, qua [3] propriam caussam Lucianus adversus philosophorum calumnias tueri studuerit. Etenim calumnias istas longe diversa ratione ipse posteriore aetate, quum demum id fieri necesse erat, castigare aggressus est.

De *Patriae Encomio* miramur, plures interpretes [4]

---

[1] Sophistarum ethicas declamationes vid. commem. apud Philostr. Vit. Soph. l. I, 22, § 2, et Olear. p. 522, n. 6, 576. n. 3.

[2] Vid. ex. c. c. 8, *καὶ γὰρ ἂν καὶ αὐτοὺς ἀγανακτῆσαι τοὺς θεοὺς εἴποιμεν κ. τ. ε. εἰ δέ τῳ μὴ ἀξιόπιστοι δοκοῦσιν οἱ νομοθέται–ποιητήν μοι δοκῶ τὸν ἄριστον ἐπάγειν τῷ λόγῳ.*

[3] Rankius, Luc. et Poll. p. 25. — Quae c. 14 refertur insimulatio *atheismi* utpote qua columniator adversus pii hominis amicum uti soleat. ea et inter diversas alias memorata est, nec data opera auctor se ipsum respexisse videri potest.

[4] Wieland, Th. V, S. 379: « Eine edle und reife Frucht seiner spätern Jahre, mehr ein Werk des Herzens als des Witzes.» Jacob. Charact., S. 39.

existimare, lectissimum quemdam illud fructum maturioris Luciani aetatis esse, quo intimos potius animi sensus et in patriam suam voluntatem, quam ingenium ostendere voluerit. Sensus in illo declarati, utcunque per se laudabiles, passim istiusmodi sunt, ut neque natalis Luciani urbis natura, nec ipsius indoles eorum veritatem admittat. Samosatorum nomen non Lucianus venerari potuit quod per patris patrem et proavorum seriem illud nomen adscenderet usque ad patrios deos [1]. Non est credibile, eum doctrinâ opibusque quaerendis Samosatorum potissimum commodum spectasse [2]. Non Luciani denique hoc proprium fuit, ut celebraret deorum proclives in patrias suas animos ac deinde clamaret *εἰ δὲ θεοῖς τίμιον τὸ τῆς πατρίδος ὄνομα, πῶς οὐκ ἀνθρώποις γε πολλῷ μᾶλλον* [3]. Non civis Luciani sententia [4] in talibus sed rhetoris pompa conspicua est; nec dubitandum, quin egregius libellus pro sophistica disputatione habendus sit.

Verum praeter haecce in scriptis ante mutatum vitae

« Die Innigkeit, welche darin, fern von allem Redeprunke, herrscht, stellt es den edelsten Herzensergiessungen alter und neuer Schriftsteller über diesen edelsten Gegenstand nicht unwürdig an die Seite. » Simil. A. Pauly in singulari h. l. ed. cum Somn. et Anach. Tubing. 1825, prolog. p. XXVII et Lehmann. Tom. VIII, p. 125, 485. Angl. Interpr. Thom. Franklinus jam recte vidit. scholasticam dissert. esse; improbatus h. nomine a Wiel. l. l.

1 Patr. Encom. c. 4.

2 Ibid. c. 7.

3 Ibid. c. 5. Vid. porro in pr. c. 9 et 12.

4 Opinio de peculiari Lucianeorum scriptorum consilio, quod positum sit in *informandis bonis civibus* et *commendandis politicis officiis*, explicata ea in pr. a Jacobo in characterismo Luc., potissimum nititur locis e Patriae Encomio desumtis et ex hujus, ut vocavit, practico quodam commentario Demosthenis Encomio; tum ex libro Pro Mercede Conductis, vid. p. 40.

consilium a Luciano editis duo longe praestantiora et prae caeteris jam ipsius propria opuscula censenda sunt. Dialogos volumus *De Amicitia* et *De Gymnasiis*. Non facile quidquam jucundius aut lucidius esse potest, quam colloquium quo Toxaris et Mnesippus inter se disceptant utrum Scythae an Graeci meliores existimandi sint in praestandis amicorum officiis. Nimia orationis volubilitas et floridiores venustates, quibus juvenilis scriptor agnoscitur, eo minus ingratae accidunt, quo candidius ipse prodit conscium quodammodo se sibi esse illius vitii, sed quasi invitum indulgere ejus suavitati [1]. Moribus utriusque nationis mirifice accommodata exempla, quibus utrinque producendis tota disputatio agitur, etsi interposito ludicro jurejurando eorum fides asseveratur, non modo singularem nitorem narrantis ingenio debere sed partim adeo ab ipso inventa esse videntur [2]; animum autem passim ostendunt cum teneriores amicitiae affectus tum ejus efficientiam in vitâ penitus amplexatum [3]. Verumtamen hoc quoque nomine liber ille a posterioribus Luciani scriptis diversam naturam habet, ut satirica ratio nondum in eo appareat [4] et universa quamvis luculenta

---

1 Scytha in Graeci adversarii sermonibus illudit τὸ καλλιλογεῖσθαι, c. 35, et κομψὰ ἐγκαταμιγνύναι τῷ λόγῳ, c. 42, mox vero ipse eodem vitio peccat et apud Mnesippum in prolixitatis suae reprehensionem incurrit, c. 56.

2 Jusjurandum vid. Toxaris, c. 11, 12. Jurisjurandi autem fides, in Scythicis certe narrationibus, in ipso dialogo ridetur, v. c. 35, 56. Conf. de exemplis e Scytharum historia narratis Car. Geor. Jacob, in singul. hujus libr. ed. Hallis 1825, recte Lucianum adv. Dahlmannum a violati jurisjurandi crimine tuitus, Prolegom. p. XLI.

3 Plenam affectu ex. c. vide narrat. de Zenothemi ac Menecrate, in pr. c. 26.

4 Quod Toxaris, c. 9, Graecos incusat, ut qui melius amicitiae laudes

sententia potissimum formae inserviat; in qua adornanda pro sophisticarum literarum indole, praecipuum scriptoris consilium expleri videtur.

Neque eo judicio plane eximendus est alter, quem diximus, liber, *Anacharsis* inscriptus. Gymnica ratio, quam Solon in eo colloquio Attica cum urbanitate et ironia miranti ejus absurditatem Scythico hospiti exponit, Luciani tempore ita degeneraverat et in athleticam abierat, ut pristinam ejus naturam multi e Graecis jam parum adsequerentur, quin imo aequalis nostri Galenus universam palaestricam artem data opera acerbissime impugnandam censuerit [1]. Non improbabilis inde opinio [2] est, in crebriore ejus materiae disceptatione, quam hujusce scripta apud Graecos suscitassent, Luciano opportunitatem exstitisse, ut hac disputatione rationes commonstraret, quibus aequa ejus dijudicatio maxime institui posset. Et sane quanto praeclarius Lucianus quam ipsius aequales ea in caussa veteris aevi indolem perspexerit egregio hic liber documento est.

Corporis exercitationem ex ipsa Graecae antiquitatis

---

celebrarent quam ejus opera praestarent, non comparari id potest cum acerbitate, qua postea Luc. in pr. in Philosophis mendacem amicitiae speciem et commendationem notavit (Conf. Pisc. 35, 36; Timon, c. 56, 57; Icarom. c. 31), et Mnesippi disputatio eam ipsam reprehensionem redarguit. E libelli habitu et e c. 9, Cl. Geelius colligit: Luc. ridere illos philosophos, qui sterili oratione neque exemplorum luminibus illustri, de amicorum officiis praecepta darent. Bibl. Crit. Nov. Vol. II, p. 114.

[1] Conf. Pauly, Proleg. in h. libr. edit. p. XVII sqq. Galenus ad Thrasyl. c. 41 — *σκάπτειν καὶ θερίζειν κ. τ. λ. ἅπαντά τε τἄλλα κατὰ φύσιν ἐργάζεσθαι κρεῖττον ἢ κατὰ παλαίστραν γυμνάζεσθαι.*

[2] Wielandi, Th. IV, S. 233 seqq. quem sequitur Lehm. in lib. arg.

sententiam sic exponit, ut arcte haec olim juncta fuit alteri educationis parti, quae ad animum excolendum spectabat. Proprium disciplinae officium, positum illud in insitâ vi naturae promovenda et rite conformanda, ex Socratico potissimum praecepto designat [1]. Antiquum ejus ambitum apud Graecos adumbrat non tam ipsa Solonis tempora quam florentem maxime Athenarum aetatem respiciens; in eoque describendo manifesto Platonem sequitur ducem [2].

Talis autem universa gymnasiorum ratio in Ana-

---

[1] Anachars. c. 20. *οὐ γὰρ ἱκανὸν ἡμῖν ἔδοξε τὸ μόνον φῦναι ὡς ἔφυ ἕκαστος ἤτοι κατὰ τὸ σῶμα ἢ κατὰ τὴν ψυχήν, ἀλλὰ καὶ παιδεύσεως καὶ μαθημάτων ἐπ᾽ αὐτοὺς δεόμεθα, ὑφ᾽ ὧν τά τε εὐφυῶς διακείμενα βελτίω παρὰ πολὺ γίγνοιντο ἂν καὶ τὰ φαύλως ἔχοντα μετακοσμοῖτο πρὸς τὸ βέλτιον.* Conf. Xenoph. Mem. Socr. l. IV, c. 1, § 3. *Τοὺς μὲν οἰομένους φύσει ἀγαθοὺς εἶναι, μαθήσεως δὲ καταφρονοῦντας, ἐδίδασκεν, ὅτι αἱ ἄρισται δοκοῦσαι εἶναι φύσεις μάλιστα παιδείας δέονται·* l. III, c. 9, § 2. *πᾶσαν φύσιν μαθήσει καὶ μελέτῃ πρὸς ἀνδρίαν αὔξεσθαι.* § 3. *ὅτι πάντας χρὴ καὶ τοὺς εὐφυεστέρους καὶ τοὺς ἀμβλυτέρους τὴν φύσιν, ἐν οἷς ἂν ἀξιόλογοι βούλωνται γενέσθαι, ταῦτα καὶ μανθάνειν καὶ μελετᾷν.* Conf. Luc. Quom. Hist. Conscr. c. 36, et Hermann. Comm. p. 225 sq.

[2] Conf. Anarch. c. 20—22, cum Plat. Protagor. p 325, C — 326, C. laud. a Jacobo, Char. p. 32. Platonis scriptorum studium in stylo et sententiâ Anach. conspicuum esse censuerunt: Hermann, Allg. Schulz. l. l. p. 808; Schoene in h. libri cum q. aliis edit. 1838, qui diligenter a Luc. institutae *Reipubl.* et *Legum* lectioni in pr. scriptionem Anarcharsidis tribuendam putat. Et sane, quamquam eximie Platonica de Gymn. naturâ sententia, quae est in Republ. III, p. 411, B. E. et peculiaris ejusdem commendatio *τῆς ὁπλομαχίας*, Legg. VIII, p. 833, D. (contra, Anach. 34); non facile Anacharsidi et ex persona Solonis proponi potuerunt, tamen profecisse se ex utroque Platonis opere Lucianus ostendere videtur, tum rite explicando, non ad corporis solum robur haec exercitia valere, sed simul ad animos juvenum *θυμοειδεῖς*, c. 24, et *φιλοτίμους*, c. 30, 36, reddendos, tum designando, quemadmodum in pr. ea praepararent ad subeundos militares labores et pericula, conf. Anach. c. 24, ad init. et sub finem, c. 25, 26, cum Republ. III, p. 404, A. B; Legg. VIII, p. 832, A.

charside explicatur, qualis fuerat quondam pertinueratque, ut pertinere unice potuit, ad constitutionem liberae civitatis, quae *cives* sibi volebat non modo bonos animo sed corpore etiam validos [1], ut essent *φύλακες ἀγαθοὶ τῆς πόλεως* [2]. De quo politico consilio identidem Solon Anacharsin docet. « Videris, » inquit, « Anacharsi, nondum quidquam de *recta rei-* « *publicae gerendae ratione* cogitasse, nec enim pul- « cherrima instituta reprehendenda duceres.— Uti autem « discas, cujus rei gratia has exercitationes juvenibus « proposuerimus : nempe non propter certamina solum, « ut auferre possint praemia : ad illa enim pauci ad- « modum ex omnibus perveniunt : sed majus quiddam « *toti civitati* ex ea re bonum, atque ipsis adeo con- « ciliamus; *κοινὸς γάρ τις ἀγὼν ἄλλος ἅπασι τοῖς ἀγαθοῖς* « *πολίταις πρόκειται*, *commune enim quoddam certa-* « *men aliud bonis omnibus civibus propositum est*, « et corona non ex pinu, neque oleâ, aut apio, sed « quae hominum in se felicitatem complectatur, *οἷον* « *ἐλευθερίαν λέγω αὐτοῦ τε ἑκάστου ἰδίᾳ καὶ κοινῇ τῆς* « *πατρίδος libertatem privatim uniuscujusque, et* « *communiter patriae*, et divitias et gloriam et feri- « arum patriarum fructum et propinquorum salutem [3] « et in universum pulcherrima quaevis, quae a diis « sibi contingere aliquis optaverit [4]. »

---

[1] Anach. c. 20. *ὅπως οἱ πολῖται ἀγαθοὶ μὲν τὰς ψυχάς, ἰσχυροὶ δὲ τὰ σώματα γίγνοιντο.*

[2] Anach. c. 30.

[3] Aliter vertit Gesnerus : *rei familiaris conservationem*, utrumque sensum Wielandus complecti conatur. Vid. T. IV, p. 337.

[4] Anach. c. 14, 15.

Animadvertentibus vero ipsam argumenti pertractationem, quae omnino refertur ad eum liberae reïpublicae statum, cujus recentiora tempora nihil quidquam praeter umbram reliquerant, quum nulla horum recentiorum temporum cum vetere libertate comparatio instituatur, cernentibusque totum habitum dialogi, in quo rhetoricus quidam ornatus non potest non agnosci [1], liquere nobis videtur, Lucianum, in eo scribendo, etsi peculiari, quam memoravimus, usum temporum opportunitate, tamen non ita cogitasse de sua aetate corrigendâ aut ad antiquam rationem instaurandâ; sed potius antiquitatis locum illustrasse, in quo animo et mente libenter immoraretur, et in quo illustrando jam proprium studiorum fructum auditoribus et lectoribus posset ostendere. Reliqua Luciani scripta satis improbant opinionem eorum, qui statuant, eum omnino id egisse, ut apud aequalium hominum genus juventutis educationem et institutionem informaret; quique peculiarem operam ideo eum posuisse putent in antiquis gymnasticis exercitationibus suae aetati commendandis [2].

Demosthenis Encomium jure a scholiasta et plerisque recentiorum interpretum Luciano abjudicatum putamus [3]. Si pro nostri opere habeatur, referendum

---

1 Jam Pauly in Proleg. suis l. l. p. XXIII, « propter locos, qui rhetoris quodammodo scholas sapiant, opusculum prioribus auctoris libellis potius, quam serioribus accensendum » putat.

2 Conf. adnot. altera ad finem dissertationis.

3 Schol. ad titul. libr. Interpr. praeter recensos apud Lehmannum, T. IX, p. 429, sq; Schulzeit. 1831, Abth. II, S. 596, etiam Schöll. Gesch. der Gr. Litt. Bd. II, S. 492; Rankius Poll. et Lucian. p. 23; W. H. Grau-

sit in ipsum ultimum tempus sophisticae professionis; quum scriptor libri significet se jam per plurimos annos in rhetoricà vixisse [1]. Nec infitiamur, esse in singulari et inventionis et compositionis novitate [2], et in ipso affectati dialogi genere [3], quod huic Luciani aetati conveniat. Sed quominus jam tum florenti ejus ingenio hoc opus adscribamus graviora impedire videntur.

In priore encomii parte, in qua scriptor cum Thersagora poëta colloquitur, satis apparet, eum non tam simpliciter, ut Gesnerus et Wielandus voluerunt, vulgares laudatores illudere voluisse, quam studiose simul ex personâ loquacis poëtae se ipsum ostentare, peritiamque jactare scriptionis suae splendore iis ipsis variando ornamentis, quae cum derisione quadam

---

ert, Hist. u. Philol. Analect. Münster, 1833, S. 289, not. 80; Welzlar. l. l. p. 24 sq.

1 Demosth. Enc. c. 17, et c. 24. Senem adeo fuisse suspicatur Solanus, ad c. 24; nec fortasse injuria, et tamen auctor rhetoricam profitetur, c. 2, 5 et 7, continentemque ejus artis usque ad hoc tempus exercitationem: quorum quidem alterum, si Lucianus auctor fuit, repugnat alteri.

2 Strenue in pr. hoc nomine librum defendit Wielandus, Th. VI, S. 123 et in adnott.; ante hunc pro Lucianeo eum habuit Gesnerus (etsi dubitanter); Wiel. secuti sunt Lehmann. l. l. A. Pauly, ad vers. Germ. S. 1752; Becker, Litter. d. Demosth. S. 29; C. G. Jacob. Charakt. S. 40.

3 Heusdius, in Init. Philos. Plat. Vol. II, P. 1, p. 137 dixit: *exstare in Luc. scriptis, quorum forma plane ex Platone ducta est, v. c. Demosth. elog.* — Passim etiam locos Platonicos in eo usurpari, iisque adludi, vid. ex. c. coll. exordio cum initio Phaedri; c. 5, τὰς ποιητικὰς θύρας, Phaedr. p. 245, A; c. 13, duplicem amorem, Symp. p. 180, D; c. 16, ὥσπερ βαλανεύς, Respubl. p. 344, D. — Lucianum autem sub finem rhetoricae professionis multum in Platone versatum esse, efficere licet et ex *Anacharside*, et ex primo quodam satirici generis specimine *Nigrino*.

spernere se simularet [1]. Justum autem modum in hoc agendo ita excessit, ut plus dimidio totius operis huic prolusioni insumserit. Tum, Thersagorae error, quo hic praeter Platonem, Aristotelem etiam, Xenocratem, Theophrastum Demosthenis praeceptores numerat [2], ut crassior esse videtur, quam ut a Luciano committi potuerit, ita plane non potest non ab ipso auctore libri commissus censeri. In altera enim libri sui parte et *Aristotelem* ille induxit Demosthenem discipulum laudantem, et ipsum Demosthenem in novissima oratione *Xenocratis* et Platonis de immortalitate sermonum recordantem [3].

In hac altera quidem parte, quae ex Macedonicis deprompta commentariis fingitur, quamque encomii defensores pro Luciano dignissima habent, Demosthenis excelsus in gerendis politicis rebus animus et infracta constantia in obeunda morte praeclare describuntur. Verum Luciani hic quoque desiderare nobis videmus sapientiam, ubi maxime ea opus fuit; quum in ipsis caeteroquin egregiis Demosthenis ad Archiam dictis, oratio paullo post exordium adsurgit in decla-

---

[1] Ex hac sophistica scriptionis ratione explicetur, quod alii, ut Gesnerus et Wielandus, *omnino satiricam*, alii, ut Schoelius, l. l. *plane non satiricam* eam esse existimaverint.

[2] c. 12.

[3] c. 41 et c. 47. *Aristotelem*, Demosthenis praeceptorem inducere per se non ejusmodi est, quin sciens Lucianus fictioni suae id concessisse existimari possit (ut hactenus recte Wiel. Th. VI, S. 167); et memorati a Demosthene *Ξενοκράτους καὶ Πλάτωνος ὑπὲρ ἀθανασίας λόγοι* per se intelligi possent *scripta in vulgus edita* (quamquam sic quidem langueret sententia in Demosthenis verbis); sed nec Lucianus nec quisquam alius id commissurus fuit, ut in eodem scripto, primum (c. 12.) aliquem errorem, *per irrisionem alius*, inductae personae tribueret; deinde (c. 41.)

matoriam commemorationem praesidiorum reip. Atheniensis ac meritorum eorum, quae quidem jam locus, ad quem orator relictis Athenis confugerat, satis superque Archiae ostendebat quam non juvare eum potuissent [1].

Porro jam a Grauertio animadversum est, nimis improbabilem esse fictionem in colloquio Antipatri et Archiae, quum tanta Demosthenis admiratio, quantam Antipater emissario suo aperit, ab hujus ingenio aliena sit, neque cadere omnino in eum potuerit, ut Demosthenem de rebus Graecis consiliarium adhibere cogitaret [2]; tum turpiter in eo peccari, quod Antipater, quum resciisset mortuum esse Demosthenem, quem vivum adduci jusserat, non continuo ex Archia percunctatur, quomodo hoc accidisset, sed longissime subinde exspatiatur laudando Demosthenis virtutes, et in fine demum quaerit *ἀλλὰ πῶς ἀπέθανεν* [3];

---

in propriae fictionis commodum partem ejusdem ipse *sciens* adhiberet; tandem (c. 47), in *speciem* ejusdem erroris, sine ulla necessitate, incurreret. Stique tuto statuere licet Thersagorae alucinationem ipsius auctoris fuisse.

[1] Per totum c. 45, cui neque ipse Wiel. ignoscere potuit, vid. Th. VI, I. 172. — Egregius autem locus, qui proxime antecedit, debetur, ni fallor amitationi loci Plutarchei: conf. Enc. Dem. c. 44, *φυλακτέον μὴ τὴν ψυχὴν–δεδωροδοκηκέναι μηδ' ἣν ἐμαυτὸν ἔταξα τάξιν λιπὼν–μεταβάλλεσθαι*, cum Plut. Dem. c. 13, *εἰς ἣν–τάξιν αὑτὸν–κατέστησε –διαφυλάξας–καὶ τὸν βίον ἐν τῷ μὴ μεταβαλέσθαι προέμενος*. Perinde supr. Wielandus conferri jubet verba Philippi, Enc. Dem. c. 31, *ἀλλ' ἐπὶ μιᾶς γε ταύτης ἡμέρας τὸν περὶ τῆς ἀρχῆς καὶ τῆς ψυχῆς κίνδυνον ἐπέστησέ μοι*, cum Plut. Dem. c. 20, *ἐν μέρει μικρῷ μιᾶς ἡμέρας τὸν ὑπὲρ τῆς ἡγεμονίας καὶ τοῦ σώματος ἀναῤῥίψαι κίνδυνον ἀναγκασθεὶς ὑπ' αὐτοῦ*.

[2] c. 40, 42. Grauert, l. l.

[3] c. 42. Quid quod ubi tandem, c. 43, Archias exorsus est explicare quali *παρασκευῇ* (conf. c. 48 *τῆς δ' ἐμῆς παρασκευῆς*), Demosthenes ad mortem usus sit, iterum ab Antipatro praevertitur, qui demum c. 49, rem ipsam ab eo comperit.

Denique miror, non offendisse viros dd. quam inconcinne Archias, quum ostendenda regis humanitate vivum Demosthenem e templo deducere conetur, notarios tamen adesse curet, qui ejus dicta Antipatro servent [1]; quasi simul divinasset, tum ipsum ad libertatem suam tuendam munitum esse veneno, id quod post ejus mortem demum ex ancilla cognovit [2], tum novissima ejus verba, coram tam indignis auditoribus, ita in orationis perpetuae modum tractum iri, ut scripto mandanda forent, quod quidem certe praeter recentiorem sophistam nemo quisquam potuit praevidere. Istiusmodi figmentum non possumus pro Lucianeo habere.

Nigrinum propter temporis et argumenti similitudinem in posterioribus Luciani scriptis numeramus. Cum Wielando [3] putamus, Lucianum eum scripsisse, quum jam constituisset, misso rhetorico officio, Athenas concedere [4]. Sententia tota satirica est; forma vero nondum propria illa comica, sed in exordio et fine adornatam habet Platonici dialogi imitationem. Trans-

---

1 c. 44, καὶ γὰρ οὖν ὑπογραφέας παρεστησάμην, ἵνα σοι τὰ λεχθέντα σώζοιτο.

2 c. 49. Archias autem, etiam postquam (c. 47) precibus et minis frustra usus est (c. 48), vi eum *vivum* detrahere e templo cogitat (quod Demosth. verba testantur). Neque tamen existimari potest, ideo scribas adposuisse ut una cum vivo Demosthene contumeliosa ejus in Macedones verba ad Antipatrum deferret, quippe eo consilio prodendo ipsam salutis spem, qua pellicere eum c. 43, 44, 47, studebat, sublaturus fuerat.

3 Wieland, Th. I, S. 18, cui assentitur Schoell, Gesch. der Gr. Litt. Bd. II, S. 476. Authentiam libri addubitat Rankius, Pollux et Luc. p. 23.

4 Dialogi scena prope Romam est, Athenas autem cogitasse Luc. colligas ex c. 3 et 12 sqq. Scriptum esse dialogum quum jam demigrasset Luc. ex praefixâ epistolâ apparet.

itionem referre videtur a rhetoricis dialogis ad comico-satiricos.

Strictim tamen hoc loco notandum, a pluribus existimari, eum a multo juniore scriptum esse [1]. Cui sententiae speciosum in primis argumentum ex Hermotimo derivatur. Lucianus in eo dialogo, quem quadragenarius scripsit [2], dicit quindecim fere annos esse [3], quum senem quemdam audiret exponentem quemadmodum se res haberent in philosophiae civitate; ducem quidem hunc senem se obtulisse, qui civibus ipsum advenam adscripturus esset, se vero prae juvenili inscitiâ ei non obtemperasse. Nigrini autem sermonibus, Romae degenti philosophiam commendantibus, et Romanorum mores perstringentibus, ita animum suum affectum esse dicit, ut quasi ex tenebroso quodam aëre ad magnam lucem respiceret [4]. Igitur hic Nigrinus in Hermotimo significetur. Hujus praecepta Lucianus continuo admiratus sed postea non secutus fuerit, et dialogus ejus nominis quinto et vicesimo aetatis anno a Luciano scriptus sit, quum in Italiam migrasset, ut sophisticis declamationibus quaestum faceret [5]. Verum *primum*, ut jam potuerit ea aetate tam eximium opusculum scribere, incredibile tamen sit, juvenem declamatorem ab acerbissima ipsorum derisione initium

---

1 Solanus, ad lib. init.; Hermann. Allg. Schulz. l. l., S. 804; Wetzl. de Luc. Vit. et Scr. p. 36; Schlosser, Univers. Uebers. der Gesch. d. a. Welt, Th. III, A. I, S. 221.

2 Hermot. s. de Sect. c. 13.

3 Ibid. c. 24.

4 Nigrin. c. 4, conf. 1, 5.

5 Wetzl l. comm. p. 36, 37.

apud Romanos fecisse artis suae commendandae. *Tum* aut fallor vehementer, aut et disputationis nexus et loci habitus in Hermotimo sive dialogo de Sectis postulat, ut illic aliquem philosophiae de scholà doctorem cogitemus, quali maxime infelix Hermotimus praeceptore utebatur. Nigrinus contra, etsi Platonicus [1], practicam potissimum profitetur philosophiam [2] et eas de vita et moribus sententias explicat, quas efficacissime ipsum Lucianum satiricis suis scriptis in lucem posuisse videbimus. *Praeterea* Lucianus, nisi admodum servili ratione unice in aliena verba juraverit, hunc librum tum demum scribere potuit, quum jam alias ac diutius Romae versatus fuerat. Ea enim opportunitate, qua se Nigrinum invisisse dicit, brevissimo tantum tempore illic moratus est. In urbem se contulerat non ad rhetoricam artem exercendam, sed ut oculorum medicum sibi circumspiceret [3] et mox in ipso dialogi initio jam inde reversus apparet. Mores autem et domesticam vitam Romanorum ex persona Nigrini eo modo notat, quo ne post auditum quidem alienum sermonem fieri id potuerit ab homine qui Romam tum primum et cursim vidisset.

---

[1] Immoderatus quidem Philosophicus ἐνθουσιασμὸς in libri exordio et fine affectatur, unde Schlosserus, in l. Op. p. 222. « Diese Schrift verbindet mit bitterer Satyre schwärmenden Platonismus. » Sed praeterquam quod ipsius Nigrini, qui in libro referuntur, sermones ab ejusmodi fanatico Platonismo plane immunes sunt, etiam apud ejus auditorem dialogi potius comico-rhetoricum ornatum, quam verum animi affectum in eo quaerendum esse passim dilucide apparet; vid. ex. c. l. l. c. 1, 5, 10 et init. 12.

[2] Nigrin. c. 26, sq. c. 19; conf. veri Philosophi κριτήριον, in Piscat. c. 46.

[3] Nigr. c. 2, 4.

Omnino, quod alioqui neutiquam improbabile erat, a Luciano, juvenili aetate, satirica etiam scripta composita fuisse, id quidem e servatis ejus operibus non comperimus, atque ea etiam, quae, ut Navigium, Saturnalia, Parasitus, Deorum et Meretricium dialogi, propter mitiorem sententiam vel leviorem jocum reliquis priora fuisse videri poterant, tamen ab otiante profecta esse apparet, partim aliis indiciis, partim comico dialogi genere, in quod relictâ oratoria professione eum incubuisse ipsius in Bis Accusato testimonio constat.

Diutius commorati sumus in recensendis prioribus Luciani scriptis, quia, neglectâ rhetoricâ eorum indole, ejusmodi ex iis Luciani *sententiae* et *scribendi consilia* derivata fuerunt, quae partim non Luciano magis quam alii cuivis, partim alii cuivis magis quam Luciano propria sunt. In tantâ vero, quantâ gaudemus posteriorum Luciani scriptorum copiâ, nolimus sane id agere, quod a scriptionis hujus instituto praeterea alienum foret, ut *Lucianeas scribendi virtutes* singulatim in hisce perlustremus aut crebra in iis designare vestigia conemur illius antiquorum exemplorum studii, cujus quanta in juvene Luciano diligentia fuerit, quantique postea ab eo efficacitas habita sit, mox locus erit ipsum asseverantem audiendi. Deperditis vel ab ipso non editis longe plerisque sophisticis nostri operibus, dubitari possit num e servatis satis probabiliter rhetoricum ejus characterem, qui dicitur, et merita censere liceat. Verumtamen in eâ, qua pauciora haecce inter se distincta sunt, varietate, quaque

scriptorem videntur prodere in peculiari quodam scribendi genere nondum plane confirmatum, non possumus non simul fecundum illud Luciani ac versatile ingenium agnoscere, quod paratissimam variarum rerum copiam maxime quibusque opportunis compositionis semper formis induit. Tum in ipsis exemplorum luminibus, in descriptionibus rerum sensibus objectarum, lucidissimis historiis, fabulis et identidem jucundissime adhibitâ dialogicâ formâ [1], quae si quid aliud jam proprium quemdam et singularem iis nitorem conciliant, praesagia esse videntur, qualis scriptor postea futurus sit, quum aequalibus se ipse opponeret; non enim argumentando tum potissimum aut declamando rem suam egit, sed *exempla* stultitiae ac pravitatis iis ante oculos posuit, et tam ipsos, quam opiniones ipsorum et commenta *dialogis* suis in scenam produxit.

Quodsi nondum in illis plane suas partes sustineat, si rhetoris adeo interdum magis quam suam pietatem, gravitatem, civilem virtutem ostentet, ab altera parte nondum in iis prodit eam popularium religionum et philosopharum doctrinarum irrisionem, vel despicientiam eam humanarum rerum, quae in praestantissimis posterioris aetatis scriptis dominantur. Agnoscimus se-

---

[1] *Historiae* et *fabulae* in multis: in Scyth. s. Hosp. c. 1. *οὐ χεῖρον ἴσως διηγήσασθαι*, inde c. 2, sqq. c. 9, *βούλεσθε οὖν ἤδη ἐπαγάγω τῷ μύθῳ τὸ τέλος;* Harmon. c. 1; Herod. c. 1, 4; Electr. c. 2, 5. De non temere cred. Calum, c. 2—4; pro Imag. c. 4, 5, 9, 14; totus dial. Toxar. *Descriptiones operum artis*, ex. c. Herod. c. 5; Zeux. c. 4—6; Scyth. c. 2, (de Domo, c. 22—31; Hippias, c. 4—8; de his tamen vid. supr.) Imagines, c. 4—7. De non tem. cred. Cal. c. 5; Toxar. s. Amic. c. 6. *Dialogi* autem praeter Imag. Pro Imag Toxar. Anach. vid. ex. c. in Harmon. c. 1, 2; Scytha, c. 4—8; Electr. c. 3 - 5.

ro demum, nec juvenili temeritate eum in aetatis suae studia insultavisse. Contra in optimis juventutis operibus, in primis in dialogis de Amicitia ac de Gymnasiis et in iis praefatiunculis, ubi de suis rebus et studiis coram auditoribus exponit, tam serena enitet animi alacritas, tamque nativa jucunditas, ut minus aliquantum miremur, si ne tum quidem, quum de veritate et perfectione vehementius desperare coepisset, hunc quasi proprium naturae ejus habitum prorsus mutatum videmus. Conjuncta in Luciano haec alacritas est cum cultissimo sensu et studio Graecae humanitatis. Spirant haec in Attica venustate, quam interdum urbana cnm libertate gloriatus est se, barbarum licet hominem, scriptis suis conciliasse [1], et vero in eo amore, quo in primis Athenas dilexit. Non Lucianum audimus, ut plerique sophistae solebant, Athenarum tropaea celebrantem, sed ubi earum laudes vel sophistico consilio, uti in Scytha s. Hospite, attingit, delenimenta et bona memorat in *Ἑλληνικῇ παιδείᾳ* posita, et Solonem hospiti monstratum facit *Ἑλληνικὸν κανόνα-δεῖγμα τῆς φιλοσοφίας τῆς Ἀττικῆς* [2]. et sane eam Atticam philosophiam nemo melius quam Lucianus expressit, ubi eundem Solonem in Anacharside suo in scenam pro-

---

1 Vid. Bis Acc. c. 34. *ἐπεὶ τῶν γε ἄλλων ἕνεκα οὐκ ἂν οἶμαι μέμψαιτό μοι (ὁ διάλογος), ὡς θοιμάτιον τοῦτο τὸ Ἑλληνικὸν περισπάσας αὐτοῦ βαρβαρικόν τι μετενέδυσα, καὶ ταῦτα βάρβαρος αὐτὸς εἶναι δοκῶν.* Bis Acc. c. 30. *καὶ γὰρ ἐπαίδευσε (ἐμὲ ἡ Ῥητορική)-καὶ ἐς τοὺς Ἕλληνας ἐνέγραψε, καὶ κατά γε τοῦτο χάριν ἂν εἰδείην τῷ γάμῳ.* Zeuxis c. 2. *χάριτος Ἀττικῆς ἢ ἁρμονίας ἢ τέχνης τῆς ἐφ᾽ ἅπασι, τούτων δὲ πόρρω ἴσως τοὐμόν.*

2 Scyth. s. Hosp. c. 1, 5.

duxit et Graecum in eo ingenium exquisitissimâ arte adumbravit. Quantum autem Athenas dilexerit et facto deinde ostendit, quum, misso sophistico negotio, illic vitae suae et otii sedem posuit [1].

V.

DE CAUSSIS RELICTI A LUCIANO SOPHISTICI STUDII.

Ad recte existimandum de juvenilibus Luciani studiis, deque eorum vi in posteriorem ejus vitam, juvabit etiam attendisse rationes, propter quas rhetoricae professioni valedixit.

Vidimus, eum in Bis Accusato Rhetoricam induxisse sub persona derelictae uxoris ipsum accusantem [2]; jam in defensione, quam eo loco dedit, aequales rhetores assimilavit insolentibus amatoribus, qui eam, quam ipse legitime habuisset, ebrii adulterassent et quorum in gratiam illa, rejecto decenti habitu, quo olim Paeaniensis ille rhetor eam indutam duxisset, meretricio more ornare se et infucare coepisset [3]. Eam Lucianus

1 Vid. Athenarum laudes in Nigrino, c. 12 sqq. Athenis in pr. aguntur praecipui ejus comici dialogi; conf. Wiel. Th. I, S. XVI. Patrem suum Samosatis arcessivisse et illuc deduxisse, probabile est ex Alex. s. Pseudom. c. 56; conf. Wetzl. de Luc. vita, p. 49. ἐπὶ μήκιστον illic cum Demonacte versatus est, Demon. Vit. c. 1. In Navigio autem videmus eum Athenis habitantem et Attico suo otio beatum; vid. passim Navig. et c. 15, 33.

2 Vid. supr. p. 15.

3 Bis Accus. c. 31.

sibi caussam fuisse affirmat, cur desertâ illâ ad Dialogum se recepisset.

Longius quidem aberraret oratio ab eo, quod propositum est, si comprobare institueremus, quam plenissimo suo jure hanc artis suae rivalibus Lucianus incusationem intenderit, verumtamen, ad intelligendum quid maxime eâ voluerit, non injucundum sit ipsum festivissimâ acerbitate sententiam suam de aequalibus rhetoribus explicantem audire, in *Rhetorum Praeceptore.* Agnoscimus Lucianum in eo libello interdum illudere peculiaribus rebus certi alicujus sophistae [1], quem lectoribus ipsius aetatis inter alios distincte descripserit; atque tam immanem morum impuritatem in hujus exemplo rhetori necessariam esse praedicat, ut nisi cujusdam unius, certe vulgarem sophistarum pravitatis modum haec quidem longius excessisse censenda sit. Simul vero alios plures illius similes esse significat [2] et aperte in illum quasi in perfectum quemdam *τύπον* ea ferme confert et cumulat, quae passim pessimorum artis suae sociorum vitia esse comperisset. Scripsit autem libellum ea ipsa aetate, qua artem rhe-

---

[1] *Διόσκουρον* vel *Διοσκουρίδην* (conf. Rh. Pr. c. 24) appellatum fuisse hunc sophistam Palmerius et Hemsterhusius censuerunt; vid. Hemst. Praef. ad Pollucem, p. 31, 32. Singulari autem, quam supr. laudavimus, commentatione, Pollux et Luc. inscriptâ, Car. Ferd. Rankius tuitus est sententiam Scholiastae probatam (ad titul. et c. 24): Pollucem onomastici scriptorem in Rh. Pr. notari; in quam caussam tantum ab auctore doctrinae et disputandi solertiae depromptum est, ut etiamsi nondum plane desperandum sit de infamiae ista nota a Polluce removenda, tamen merito vapularet, qui ejus caussam *ἐν παρέργῳ*, susciperet.

[2] Rhet. Praec. c. 11. *εὑρήσεις πολλοὺς μὲν καὶ ἄλλους.* κ. τ. λ. conf. c. 8.

toricam reliquit, ut apparet ex hisce verbis sub finem. *ἐγὼ δὲ-παύσομαι τῇ ῥητορικῇ ἐπιπολάζων-μᾶλλον δὲ ἤδη πέπαυμαι* [1].

Simulat igitur Lucianus, consilium se dare adolescenti de optima ratione, qua hic rhetoris sibi et sophistae nomen comparaturus esset. Cebetis Socratici instar [2] imaginem effingit, quae duas ostendit vias, utramque ad rhetoricam ducentem. Quarum altera longa est et ardua et plena sudoris, similis maxime illius, quam designavit Hesiodus [3]; alterâ contra nihil quidquam potest jucundius cogitari aut magis compendiosum [4]. Hujusce, nempe unice expetendae viae, tum multi alii duces sunt, tum magnifica fit commendatio a quodam paene divino homine, qui prae caeteris egregie in ea versatus est [5]. Praecepta, quae ab illo feruntur huc maxime redeunt.

---

[1] Rhet. Praec. c. 26, ita jam Solanus, ad. l. et Rankius, Pollux et Luc. p. 26: « scriptum esse *quum quadraginta fere annos natus esset* »; conciliari tamen cum h. sententiâ non possit altera Rank. ibid. p. 36: « *Scriptum esse Commodo regnante*, postquam suggestu rhetorico Pollux ornatus esset » , quia ita quidem Lucianus natus esset post annum 140 p. Chr. atque quater Olympicis ludis interfuisset et librum de Hist. Conscrib. scripsisset, antequam annum aetatis quintum et vicesimum explevisset. Nimirum notum est, Luc. in libro de Mort. Peregr. c. 35, tradidisse quarto tum se vidisse Olymp. quum Peregrinus se in rogum dejiceret; id quod Eusebius, in Chron. notavit ad Olymp. 236 a 1, p. Chr. a. Eus. 166, sive vulgarem 165, (conf. Scalig, animadv. ad Hieronymi vers. Lat. p. 202.) Librum autem de Hist. Conscr. scripsit sub exitum belli Parthici, i. e. circ. a. 165 p. Chr. Conf. c. 30, 31, et Car. Fred. Hermann. in praef. ad singul. h. libri Edit. 1828, p. XIII, XVII. — Prior autem sententia propter ipsius Luc. verba tuenda videtur.

[2] Rh. Pr. c. 6.

[3] Ibid. c. 3, 7, 8.

[4] Ibid.

[5] Ibid. c. 11.

Προπαιδεία futuro rhetori opus est nullâ [1], sola viatica afferantur inscientia, confidentia, audacia, impudentia, clamor quam maximus, habitus luxuriâ diffluens, pedisequi et liber. Reliqua in ipso itinere nter progrediendum parantur. Quindecim circiter, non plura certe quam viginti Attica verba, quorum quasi condimento unaquaeque oratio adspergatur [2]. Item abstrusa et obsoleta verba, quae jaculorum instar emittantur in eos, quibuscum loquaris; interdum etiam nova et insolentissime conficta [3]. Antiquorum exempla ignorentur; recentiorum declamationes legantur et compilentur [4]. Orationis sententia, ordo, concinnitas contumeliose negligantur; sola cura et studium in eo posita sint, ut ne taceas [5]. Antiquae Graeciae

---

[1] Rh. Praec. c. 14. Libet hîc aliquot Latinorum ac Graecorum scriptorum locos apponere, qui Luciani judicia confirmant.

Neglecta praevia disciplina, in Dial. de oratt. c. 32, prima caussa notatur corruptae imperatorum aevo eloquentiae (de Graec. conf. ibid. c. 15.); Quintil, Inst. Orat. l. II, c. XX, 2, « multos enim video (in studiis dicendi), sine ratione, sine literis, qua vel impudentia vel fames duxit, ruentes. »

[2] Rh. Pr. c. 16, 18. Eorumdem verbor. abusum risit Luc. in Lexiph. c. 21; et post eum Themistius, Orat. I, conf. Cresollius, Theatr. Rhet. l. III, p. 335.

[3] Rh. Pr. c. 17. Singulatim hac de re Luc. in Lexiphane — *Genus dicendi vetustum* in pr. amavit imperator Hadrianus, vid. Ael. Spart. in Adr. c. 16. *Colorem vetusculum appingere* orationi M. Aurelius jubetur a praeceptore M. Corn. Frontone, vid. hujus reliquias, ed. Niebuhr. p. 107, 119, 121. Jam Seneca, Epist. 114, « Cum assuerit animus fastidire, quae ex more sunt etiam in oratione quod novum est, quaerit: et modo antiqua verba atque exoleta revocat et profert, modo fingit et ignota deflectit. » Utrumque *ὀψιμαθίας* vitium notat Gellius, N. Att. XI, c. 7. Conf. Hermann. Comment. ad Luc. Q. Hist. Conscr. p. 268, sqq.

[4] Rh. Pr. c. 17. Conf. Luc. Apophras, c. 5, 6; Lexiph. c. 23, de quo infra.

[5] Rh. Pr. c. 18; Plutarch. in libr. de audit. Reisk. T. VI, p. 149:

laudes perpetuo ostententur; nihil quidquam agatur sine Marathone et Cynaegiro [1]. Vocem impudenter in cantum modulari oportet [2]. Femur inter dicendum percutiatur [3]; corporis omnino immodica fiat gesticulatio. A scribendo meditandove sedulo in primis abstineatur, semper dicatur subito [4]. Chorus adhibeatur amicorum, qui obligatam plausorum operam commodent.

Haec in orationibus praecepta sunt observanda. In

αἱ δὲ τῶν πολλῶν διαλέξεις καὶ μελέται σοφιστῶν–τοῖς ὀνόμασι παραπετάσμασι χρῶνται τῶν διανοημάτων κ. τ. ε. Conf. auct. lib. de puer. educ. Reisk. Plutarch. T. VI, p. 19.

1 Rh. Pr. c. 18. *Marathonius* inde cognominatus esse ferebatur Ptolemaeus Naucratites, vid. Philostr. V. S. l. II, 15, § 1. Diophantus in funebri orat. de Proaeresio (laudat. ap Cresoll. p. 103): ὦ Μαραθὼν καὶ Σαλαμὶν νῦν σεσίγησθε, οἵαν σάλπιγγα τῶν ὑμετέρων τροπαίων ἀπολωλέκατε, Eunap. Vit. Soph. ed. Boisson, p. 94.

2 Rh. Pr. c. 15, 19. Cantus ille Asiaticorum proprius, jam notatur a Cicer. Orat. c. 8, 18; ex Asia autem maxime Soph. eloquentia in Graeciam migraverat; conf. Petron. Satyr. c. 2. Saepius de soph. cantu Philostratus. Romanis ille auribus in pr. jucundus: ἐκεῖνοι μὲν ᾠδὴν ἐκάλουν, ἐγὼ δὲ φιλοτιμίαν, Philos. in Favorino, § 4; conf. in Hadrian. § 5. Plutarch. de audit. Reisk. p. 149, de Sophistarum vocis ἐμμελείαις καὶ μαλακότησι καὶ περιάσεσιν. Luc. autem Electr. c. 6, τὸ δὲ ἐμόν, inquit, ἁπλοϊκὸν–οὐδέ τις ᾠδὴ πρόσεστιν.

3 Rh. Pr. c. 19. Philostr. de Scopeliano, § 4, τόν τε μηρὸν θαμὰ ἔπληττεν.

4 Rh. Pr. c. 20. Ut longe plerique sophistae subito in pr. dicebant, ita princeps eorum Herodes Atticus, memorante Philostr. l. I, 25, § 6, ἤρα –τοῦ αὐτοσχεδιάζειν μᾶλλον–ἢ τοῦ ὕπατός τε καὶ ἐξ ὑπάτων δοκεῖν. Nusquam impensius extemporalis prae scriptâ oratio commendatur, quam in Alcidamantis, quae fertur, oratione de Sophistis, Reisk. Orat. T. VIII, p. 78, sqq.; quam vix possim non pro opere hujus recentioris soph. aetatis habere. Abusum hujus rationis notat auct. lib. de puer. educ. Reisk. Plut. T. VI, p. 19. Aristides autem, qui nunquam subito dicebat, οὐκ ἐσμέν, inquit, τῶν ἐμούντων, ἀλλὰ τῶν ἀκριβούντων. Philostr. in Arist. Vit. Soph. l. II, 9, § 2.

rhetoris autem vitâ requiritur intolerabilis jactantia sui [1] et aliorum obtrectatio. Caeterum impudentia, promptum mendacium et in extremis labiis perjurium, impurissima omnino et nefanda in primis libido [2], utpote tum alioqui rhetoricae facultati et laudi fructuosa, tum mirifice efficax ad augendam impudentiam atque audaciam.

Haec quidem omnia praesidia sibi et adfuisse et splendidissimum in rhetorica locum peperisse viae illius dux profitetur. Noster autem in fine libri adolescentem hortatur, ut jam huic legi obtemperet, sic enim fore, ut et in judiciis vincat et apud multitudinem celebretur, quin adeo pulcherrimam mulierem rhetoricam ipsam uxorem ducat.

Saepenumero Lucianus, quamquam plerumque strictim, in aliis operibus rhetorum literas ac mores vellicavit, de industria vero sermonis sophistici lenocinia in *Lexiphane* risit. In quo, exhibito luculento specimine, eorum insaniam describit, qui, quum revocandis

---

[1] Rh. Pr. c. 21: *τί γὰρ ὁ Παιανιεὺς πρὸς ἐμέ;* Dial. de Oratt. c. 26: « Quotus enim quisque Scholasticorum non hac sua persuasione fruitur, ut se ante Ciceronem numeret? » Vide jucundam narrationem de Cestio declamatore, apud M. Ann. Senec. Exc. Decl. Contr. III, in prooemio. Arrogantiae sophistarum exempla vid. ap. Philostr. Philager (§ 1.) dormitanti auditori colaphum impegit. Polemo (§ 4.) ita orationem exorsus est: *φασὶν ὑμᾶς, ὦ Ἀθηναιοῖ, σοφοὺς εἶναι ἀκροατὰς λόγων· εἴσομαι.* Adrianus (§ 2.), nempe Tyro oriundus, Athenarum cathedram occupans: *πάλιν ἐκ Φοινίκης γράμματα.*

[2] Auctor lib. de puer. educ. Reisk. Plut. T. VI, p. 18, ubi a panegyricis nugis quam longissime abduci filios jubet, addit: *ὁρῶ δ' ἔγωγε τοὺς τοῖς συρφετῴδεσιν ὄχλοις ἀρεστῶς καὶ κεχαρισμένως ἐπιτηδεύοντας λέγειν, καὶ τὸν βίον ὡς τὰ πολλὰ ἀσώτους καὶ φιληδόνους ἀποβαίνοντας.*

verbis vetustis et confingendis inauditis exquisite dicendi laudem contineri censerent, subjectam materiem ita solum curabant, uti maxime ea inserviret fucatae et a recepto usu abhorrentis dictionis splendori[1]. In egregia etiam disputatione *de modo, quo Historia Conscribenda* sit, etsi non epsos potissimum sophistas aggressus est, ea identidem refert, et vera se referre asseverat, absurdissimarum rhetoricarum scriptionum exempla, quibus plane perspicias, quantam esse censuerit perversitatem illius *ῥητορείας*, quae etiam historiae fundum tam paene incredibili labe infecerat[2].

A pervulgatis his rhetorum artibus[3] diversam prorsus fuisse disciplinae rationem affirmat, quam ipse secutus esset. In reliquis aequalium studiis moribusque censendis, reprehensor magis pravitatis, quam vero optimae rationis commendator et propagator fuit: id, quod ita fieri debuisse ex ipsius ingenio postea explicabimus, in literis vero propius eo accessit, ut simul cum rejectis aevi sui erroribus viam designaret, quae ipsi esset probata. *Φιλαρχαῖος* in iis fuit, ut in praestantioribus sophistis ante eum etiam in primis Dio Chry-

---

[1] Lexiph. c. 24. *καὶ μὴν κἀκεῖνο οὐ μικρόν, μᾶλλον δὲ τὸ μέγιστον ἁμαρτάνεις, ὅτι οὐ πρότερον τὰς διανοίας τῶν λέξεων προπαρεσκευασμένος ἔπειτα κατακοσμεῖς τοῖς ῥήμασι καὶ τοῖς ὀνόμασιν, ἀλλὰ ἤν που ῥῆμα ἔκφυλον εὕρῃς ἢ αὐτὸς πλασάμενος οἰηθῇς εἶναι καλόν, τούτῳ ζητεῖς διάνοιαν ἐφαρμόσαι καὶ ζημίαν ἡγῇ, ἂν μὴ παραβύσῃς αὐτό που, κἂν τῷ λεγομένῳ μηδ᾽ ἀναγκαῖον ᾖ.* Conf. de hoc sophisticarum literarum vitio Villoisoni prolegg. ad Long. Pastor. p. XXIII, sqq.

[2] Conf. in pr. Quom. Hist. Conscr. c. 26 et 43, et Hermanni Comment. p. 100, 162, 264.

[3] Prolixe de rhetoribus et rhetorica Luciani aetatis disputavit doct. Car. Georg. Jacob, in Characteristik Lucians. S. 88—101, ad quem lectores ablegamus.

sostomus et ipsius aetate Aelius Aristides fuerunt.

Quae altera ab eo in *Rhetorum Praeceptore* ardua et longa et aspera via monstratur, per Demosthenis ea Platonis, Aeschinis, Isocratis, aliorum antiqua vestigia ducit [1]. Severus illius dux viatorem jubet: *ζηλοῦν ἐκείνους τοὺς ἀρχαίους ἄνδρας* [2], et versandis illorum scriptis quam plurimum et temporis et diligentiae impendere. Haec igitur via, non quasi nimis quaedam laboriosa aut antiqua *μεθόδος*, alteri a Luciano opponitur, quasi in pejorem duntaxat partem extremae [3]; quo facto plane langueret admirabilis ironia, quae

[1] Rh. Praec. c. 9, 10, 17.

[2] Ibid. c. 9.

[3] Dr. Fr. Cramer, in Geschichte der Erzieh. im Alterth. Th. II, S. 728. « In der Redner Schule scheint Lucianus nicht, wie Jacob meint, die erste Weise besonders haben empfehlen wollen, sondern wir sind vielmehr der Ansicht dass er in dieser Schrift *die beiden methodischen Extreme* in der Beredtsamkeit aufgestelt.» Vir doctissimus: Jacob omnino, prae singulari et Luciani et virtutis civilis amore, studiosius in altero alteram amplecti conatus est, ubi de Rh. Praeceptoris consilio conjecit. « Ein ernstes und anhaltendes Studium der Demosthenischen Werke würde — so mochte Lucian denken — die Zeitgenossen von mancher Verirrung abgeführt und in ihnen ein lebhafteres Interesse für das Practische und für ein der Förderung des Staatszweckes gewidmetes Leben erwekt haben.» Char. S. 101. Ejusmodi cogitatio certe non facile in Lucianum ceciderit; sed omne aliud est, quod idem ibid. recte attendit, Lucianum severiores antiquos homines in rhetorica duces commendasse. Si verum sit, quod cum Rankio Cramerus putat, Pollucem in Rh. Pr. notari, et si huic a Luciano opponatur sophista Chrestus ut *ἡγεμὼν τῆς τραχείας ὁδοῦ*, non aliud inde appareat, quam Lucianum in Chresto peculiarem quamdam disciplinae severitatem et antiquorum exemplorum studium probasse. Neque enim probari potest Chrestum quoddam methodicum extremum retulisse. — Sed praeterea non est probabile Chrestum a Luciano significatum fuisse, vel propter hoc unum, quod Luc. in severi ducis legibus nominatim *τὴν ὑδατοποσίαν* recenset, Rh. Pr. c. 9, quum de Chresto Philost. retulerit, eum non quidem ebriosum, attamen vinosum fuisse; l. II, 11, § 2. *Οἴνου δὲ ἡττώμενος, παροινίας ἐκράτει.*

per totum libellum dominatur. Per simulatam vituperationem maxime eam laudat, utpote ipsi probatam, ab ipsoque, quantum licuisset, perfectam [1]. « Atque equidem miser, » inquit, « per illam ascendi, « tot susceptis sine caussa laboribus. Non enim, juvenis « cum essem, videbam, quid melius esset, sed vere « dicere poëtam illum putabam, ex laboribus nasci « bona dicentem; sed res sic se non habebat » [2].

Longe profecto diversum fuit antiquitatis studium, quale Lucianus probavit, a specioso illo, quo etiam plerique levissimi eloquentiae artifices aequalibus se commendare solebant. Ipsum antiquorum illum contemtorem, qui faciliori sophisticae viae a nostro praeficitur, discipulum suum jubentem videmus antiquis verbis uti. Et saepius contra Lucianus *κακοζηλίαν* eorum notavit, qui vel ex antiquorum locis splendidos centones consarcinarent [3], vel obscurâ verborum vetustate orationi suae dignitatem conciliare studerent: *τοὺς ὑπεραττίκους εἶναι ἀξιοῦντας καὶ τὴν φωνὴν εἰς τὸ ἀρχαιότατον ἀπηκριβωμένους* [4]. Nec solum, quia ridicula prorsus inconcinnitas cum putida ista aemulatione conjuncta esse solebat [5], et sententiae vel invitae provisa verba sequi cogebantur [6], sed quia

---

1 Non tamen idcirco libri consilium non multo magis, derisione perversae, quam commendatione propriae cujusdam rationis censendum est.

2 Rh. Pr. c. 8.

3 Vid. Bis Accus. c. 26; Jov. Tragoed. c. 14, 15 init; Quomod. Hist. Conscr. c. 15.

4 Lexiphan. c. 25, 20; Vita Demon. c. 26; Quom. Hist. Conscr. c. 44.

5 Quom. Hist. conscr. c. 16, 22; Lexiph. c. 25.

6 Quom. Hist. Conscr. c. 15; Lexiph. c. 24.

sanissima, qua erat mente, unamquamque insolentem aut affectatam speciem repudiabat, et *ἀνθρώπινα*, ut in *Lexiphane* dixit, volebat *φρονεῖν καὶ λέγειν* [1]. Diligentia autem, qua asperae viae praeceptor discipulos suos jubet veluti per extentum funem antiquorum vestigia sequi, non servili, sed severo et accurato et pervulgatos in utramque partem errores caute devitanti antiquorum studio censenda est. Hanc unice se probare saepius Lucianus aliis locis testatus est. Jam, si adolescentiae suae consilia in *Somnio* ex vero descripsit, eo tempore, quo primum in literis vitam agere constituit antiquos cogitavit. Ita enim eum Eruditio allocuta est: *πρῶτον μέν σοι πολλὰ ἐπιδείξω παλαιῶν ἀνδρῶν ἔργα καὶ πράξεις θαυμαστὰς καὶ λόγους αὐτῶν ἀπαγγέλλουσα* [2]. Et quoties postea bonarum literarum caussam adversus aequales tueretur; illarum praesidium in antiquorum studio posuit. *Lexiphani* sophisticae laudis captatori auctor est, ut sanioris rationis initium faciat ab optimis poëtis sub magistro legendis, deinceps ad oratores transeat, eorumque oratione nutritus ad Thucydidis et Platonis scripta accedat, multumque praeterea in Comicis et Tragicis se exerceat. Ante omnia vero, inquit, hoc mihi memento, ne imiteris sophistarum, qui paullo ante nos fuere, pessima, neque ex illis libando te nutrias, uti nunc; verum oportet talia conculcare, exempla autem antiqua aemulari, *ζηλοῦν δὲ τὰ ἀρχαῖα τῶν παραδειγμάτων* [3].

---

[1] Lexiph. o. 20; conf. Quom. Hist. Conscr. c. 44 — *ὡς μὲν τοὺς πολλοὺς συνεῖναι, τοὺς δὲ πεπαιδευμένους ἐπαινέσαι.*

[2] Somn. c. 10.

[3] Lexiph. c. 22, 23.

Neque aliter historiae dignitatem a recentiorum sordibus vindicare studuit. Uti integritatis et incorruptae animi libertatis Xenophontem et in primis Thucydidem in libro *de modo, quo Historia Conscribenda sit*, exempla proponit [1], ita historicum in eo jubet, una cum civili prudentia, eâ instructum esse eloquendi facultate, quae acquisita sit multâ exercitatione et perpetuo labore *καὶ ζήλῳ τῶν ἀρχαίων* [2].

Videmus in ejusmodi locis, quod jam strictim attendere licet, quantopere Lucianus in iis rebus, in quibus certum quemdam et dignum laboribus finem propositum esse agnosceret, non levis homo aut severioris curae impatiens videri voluerit, ut haud raro videri solet, ubi in Philosophis disciplinis, in primis in Stoicâ, procaci risu ipsum Hesiodeum *μακρὸν καὶ ὄρθιον οἶμον* illudit. In literis certe, ubi habebat, quos probaret et sequeretur exempla, si quis alius perspexit labore solum ac diligentia veram laudem comparari.

Jam si hac severiore literarum disciplinâ meliorisque aevi in iis aemulatione potissimum ei contigerit, ut, qui antiqua vitae praesidia satiricis suis scriptis unus maxime labefactavit, idem propter conspicuam in iis antiquam ingenii et cultus salubritatem, etiam hodie numeretur in paucissimis deterioris aevi scriptoribus, qui florentes literas Graecas nobis proxime referant, non item ei contigisse apparet, ut rhetor

---

[1] Quom. Hist. Conscrib. c. 38, 39, 42, 5; conf. ommino Hermann. Comment p. 240, 253, 256.

[2] Quom. Hist. Conscrib. c. 34.

apud aequales inter ipsos principes sophistarum censeretur. Philostratus, quum paullo post ejus aetatem sophistarum vitas scriberet, ne verbo quidem illius mentionem fecit. Invidiam quidem pro parte quadam hujus silentii caussam fuisse, non injuria, puto, vv. dd. suspicati sunt [1]. Nam de oratoriâ Luciani laude utcunque ille existimavit, memorare saltem propter scripta eum debuit, non minus v. c. quam Aelianum, de quo retulit, ipsum sensisse, se declamationibus minus valere et eam ob caussam ad scribendum se contulisse [2]. Verumtamen rursum, quae ab ipso Luciano de prospero ejus in arte exercenda successu accepimus: in Gallia eum fuisse in sophistis, qui maximas mercedes publice traherent, et ante quadragesimum aetatis annum tantum fortunae et gloriae habuisse, quantum ipsi satis esse videretur [3], haec omnino non ejusmodi sunt, ut comparari possint, cum eximiis honoribus, quibus plerique, qui a Philostrato memorantur, sophistae propter panegyricam in primis eloquentiam in Ioniâ, Graeciâ, Romaeque celebrati fuere. Non possumus dijudicare ecquid Lucianus eas oratorias habuerit virtutes, quibus, si diutius in professione perstitisset, facile ei fuisset ad eam celebritatem per-

---

1 Solan. adn. ad. Pro Merc. Cond. c. 15. Wiel. Th. I, S. X—XII Invidiae certe caussa in promptu est, quum scriptor V. Soph. passim superstitiosum se hominem prodit, et vero l. II, 5, § 1. Ol. p. 570, se auctorem esse vitae Apollonii Thyanensis, quem Luc. cum contemtu memoraverat, in Alex. s. Pseudom. c. 6. Conf. Olear. praefat. p. III sqq. cujus disp. probavit C. L. Kayser, in praef. ad ed. V. Soph. 1838, p. XXVII.

2 Philostr. V. Soph. l. II, 31, § 1. Ol. p. 624.

3 Pro Merc. Cond. c. 15; Bis Acc. c. 28, 32.

venire, quam nonnulli, ut Chrestus, Aristides, certe magis ingenii et eloquentiae praestantia, quam descriptis a nostro artificiis adepti sunt; sed, ut solent perversa hominum judicia in eo studiorum genere maxime conspicua esse, quod eâ, qua vivunt, aetate prae caeteris dominatur, ita Lucianus usu et ipse se comperisse ostendit, dominantibus deteriorum sophistarum lenociniis, nimis corruptum fuisse judicium suae aetatis, ut veris meritis suus in rhetorica honor constaret. E *Rhetor. Praeceptore*, satis intelligimus, comicam ejus petulantiam fuisse, ubi [1] in proprio literarum genere jam confirmatus cum festivâ impudentiae specie ipsam Rhetoricam induxit asseverantem: se unum Lucianum, relictis caeteris omnibus, adamasse et suis laudibus ornasse. Namque mordaci quadam propriae laudis dissimulatione, simul autem manifesto indignationis indicio, in eodem opere ait: si videre, plerosque sine labore majoribus honoribus dignatos, quâdam eligendarum rationum viarumque felicitate [2]. Unde in fine ejusdem libelli jam non ad unum adolescentem, sed ad aequales rhetores oratione conversâ: « ego vero, » inquit, « ignarus enim et « timidus sum, de viâ vobis decedam, et desinam Rhe- « toricam sectari, quia non possum ad eam vobiscum « aequam partem conferre. Vel potius jam desii. Ita- « que sine pulvere praedicandos vos atque admiran- « dos praebete, illud solum recordati, nec celeritate « vos vestrâ vicisse, qui velociores judicati sitis, ve-

[1] Bis Accus. c. 27.

[2] Rhet. Praec. c. 8.

«rum quod facillimam et declivem viam elegistis.»[1]

Quo animo Lucianus ab artis aemulis se ipse segregaverit ex hisce, ni fallor, apparet; meritis suis id fortunae adeptus, quod honesto otio sufficeret, noluit amplius progredi in studio, quod tam facilem aditum habebat hominibus, qui literarum laudem, neglectâ doctrinae elegantiâ affectabant; nec imitando malas eorum artes moresve, aequalibus armis cum istis de laude sibi certandum putavit.

Quum vero videamus quam copiose et vehementer eos tum, quum ab iis abit, illudat simul et irrideat, dubium esse non potest, quin ipsa indignatio, qua juvenis immeritos illorum successus tulerit, mirifice fuerit efficax ad excitandam et confirmandam propriam illam ingenii facultatem, qua maturâ aetate aliquando reprehensor sui saeculi exstitit.

Neque tamen rhetorum perversitas unica caussa fuit, cur Lucianus in sophistica professione consenescere noluerit. Postquam in *Bis Accusato* exposuerat quantum adulteris suis rhetorica tribuisset, mox addit: «Quamquam, si vel nihil ejusmodi ab eâ actum esset, «concedendum tamen mihi erat, homini quadraginta «fere annos nato, a tumultibus illis et litibus disce«dere et quiescere pati judices; *evitatisque tyran«norum accusationibus et laudibus virorum fortium*, «in Academiam aut Lyceum ingredi; ibique cum opti«mo hoc Dialogo inambulare placide disputantem[2].» Et ipsam nimirum sophisticae disciplinae naturam

---

[1] Rhet. Praec. c. 26; conf. cum his supr. laud. loc. Piscat. c. 29.

[2] Bis Accus. c. 32.

taedium Luciano movisse apparet. Scriptionum quidem varia genera in juvenilibus nostri operibus habentur, et a sophistis componi ac recitari solebant, sed propria tamen eorum officii ratio, praeter oratoriam institutionem in *declamando* posita fuit. Etiam Lucianum in eo potissimum versatum fuisse laudatus locus testatur. Jam declamationem illam, quam consistere in praeparatione eloquentiae publice exercendae oportebat, prae singulari oratoriae facultatis amore tum in primis antiqui amplexi fuerant, quum mutatus politicus orbis status pristinum oratorum locum in consiliis et judiciis tantum non plane sustulerat [1]. Inde autem tota sophistica ratio in insanissimam quamdam abierat *ματαιοτέχνιαν*, non declamatorum solum culpâ, sed hoc ipso, quod nec materie e rerum usu et veritate petita, nec finibus ex eadem constitutis, longe lateque dominabatur. Nam in tanto, quanto florebat honore inopem suam, nec ad docendum eam aut persuadendum, sed unice ad delectandum compositam naturam non aliter potuit, nisi splendidiore et tumidiore in dies formâ et insolentiore argumentorum fictione [2] compensare.

Haec ipsa, quam identidem meliora illius aevi inge-

---

[1] Notus est locus in Dial. de Oratt. c. 36—42 in pr. c. 41, 5. « Quid enim opus est longis in senatu sententiis, cum optimi cito consentiant? Quid multis apud populum concionibus, cum de Repulica non imperiti et multi deliberent, sed sapientissimus et unus? — Quid invidiosis et excedentibus modum defensionibus, cum clementia cognoscentis obviam pereclitantibus eat? »

[2] Athenienses vehementer admirati sunt Alexandrum sophistam, quum, coram ipsis et Herode Attico, Scythas revocaret ad vitam vagabundam, eo quod urbes incolentes infirmiore valetudine essent; orationis autem hic erat finis: *ἀλλ᾽ ἀναπέτασον τὰς πύλας, ἀναπνεῦσαι θέλω.* Philostr. l. II, 5, § 3. Olear. p. 573.

nia notaverunt [1], incredibilis rhetoricae artis inanitas et fallacia non potuit, ex quo semel a Luciano perspecta fuerat, non in primis eo valere, ut magis etiam fieret, quod postea de se ipse professus est, *μισαλαζὼν καὶ μισογόης καὶ μισοψευδὴς καὶ μισότυφος* [2]. Quum igitur ad ingenii maturitatem pervenisset [3], et veram scribendi materiem sibi sumendam esse ratus est, et formam ad verum adaequatam. Ut autem severius ab ipso institutum rhetoricae disciplinae studium ad antiquum literarum cultum conformaverat, *ἐπαίδευσε καὶ ἐς τοὺς Ἕλληνας ἐνέγραψε* [4]; ita ipsa sophistica professio, ad quam exercendam varias regiones adierat, hominumque judicia ac studia diligenter attendere coactus fuerat, eum eduxerat ad eam hominum et rerum cognitionem, ad eam, quam in ejus scriptis aequales laudarunt, *ἐμπειρίαν τῶν πραγμάτων* [5], in qua tum proprio suo ingenio, tum saeculo, quo vivebat, vere accommodatam scribendi materiem inveniret.

---

[1] Conf. Plutarch. de audit. ed. l. T. VI, p. 149; auct. lib. de lib. educ. T. VI, p. 18; auct. dial. de Oratt. c. 31; Petron. init. Satyric.; Quintil. Inst. Orat. l. II, c. 20, §. 3.

[2] Piscat. c. 20.

[3] Valet de Luc. quod de Dione Synes. ed. l. p. 14, *ὥσπερ – ἐπιγνούσης ὀψὲ τῆς φύσεως τὸ οἰκεῖον ἔργον, οὐ κατὰ μικρὸν, ἀλλ᾽ ὅλοις ἱστίοις ἀπηνέχθη τῆς σοφιστικῆς προαιρέσεως.*

[4] Bis Acc. c. 30.

[5] Pro Merced. Cond. c. 3.

ADDENDA.

Ad pag. Dissert. 13, 4. In Luciani aetate definiendâ desideramus antiquorum testimoniorum auctoritatem, nam quod unum apud *Suidam*, in voc. *Λουκιανός*, refertur: *γενέσθαι* (vixisse, floruisse) *ἐπὶ τοῦ Καίσαρος Τραϊανοῦ καὶ ἐπέκεινα*, manifestum habet errorem. Frustra pariter natalis Luciani anni notitiam efficere coneris e virorum doctorum disquisitionibus, quas congessit suasque adjecit *Reitzius*, in Sylloge praefixâ ed. Amstel. T. I, p. XLI — LXIII. — Certum autem est, quod habet *Hemsterhusius*, Praef. ad Pollucem, p. 29, Lucianum floruisse sub Antoninorum imperio et usque in Commodi tempora; cum propter alia, tum quod M. Aurelium *θεόν* appellat, Alexandr. c. 48. *Divi* enim appellatio eâ aetate mortuis demum Caesaribus tribuebatur (Ael. Spart. in Adrian. c. 27; Vulcat. Gallic. in Avid. Cass. c. 7.). — *Solanus* in adnotationibus passim accurate temporum rationem attendit; velut ad Somn. c. 16; Quom. Hist. Conscr. c. 14: Alexandr. c. 30, 34, 35, 48, 56; de Morte Peregr. c. 35; sed non sunt singula satis inter se collata, unde, alio loco, annum efficit p. Chr. CXX, de Morte Peregr. c. 35; alio, CXXX, Alex. c. 56.

E recentioribus *Wielandus*, in disputatione Germ. versioni praemissâ, levius rem tractavit, statuitque annum p. Chr. CXVII, i. e. ultimum Trajani, *ut ne Suidae auctoritas prorsus negligeretur;* Th. I, S. XVII. — Prodierunt duo brevissima specimina *E. Ae. Struvii*, de Luciani aetate et vita, Gorlic. 1829, 1830. Statuit hic a. CXXX; a Solano, ut videtur, in errorem inductus.

Apparet ex *Alexandro* s. *Pseudomanti*, c. 56. Lucianum cum patre iter fecisse et florente aetate fuisse post Rutiliani cujusdam nuptias cum filia Alexandri Abonotichitae, c. 54, 55: obiisse autem hunc Rutilianum decimo anno post nuptias, c. 34, 35. Sed nullo jure Struvius, secutus in eo Solani adnotationem ad Alex. c. 30, affirmat, Rutilianum obiisse post mortem M. Aurelii, i. e. post a. CLXXX, spec. I, p. 3; et Luciani iter refert ad a. CLXX s. CLXXV: Spec. I, p. 3; Spec. II, p. 4; eumque eo tempore circiter annos quadraginta natum fuisse statuit. De Rutiliani morte solum constat, eam accidisse post mortem Alexandri, vid. Alex. c. 59, 60; hunc autem ultima M. Aurelii tempora attigisse non probabile est; etenim decessit ante annum aet. LXX, c. 59; jam vero sub Antonino Pio tantâ famâ florebat, ut publice nummi cuderentur in honorem ejus oraculi, vid. laud. ap. Solan. ad Alex. c. 58, Spanhemius, de Usu et Praestant. Numism. p. 176—178. Imo vero jam provectâ aetate fuit, quum ejus oraculum primum Romae innotesceret, nam erat tum Rutilianus jam senex, Alex. c. 30; qui tamen, quum et ipse non ultra septuagesimum aetatis annum vixerit c. 34, Alexandro fuit

supertes, c. 59. Alexandrum novimus etiam flagrante Marcomanico bello oraculum dedisse, post oraculum Romanos ingentem cladem passos esse, et pene captam a barbaris fuisse urbem Aquileiam, Alex. c. 48; verum, quum illud bellum statim secutum sit post bellum Parthicum, a. CLXVI, J. Capit. in M. Anton. c. 13, et majorem partem M. Aurelii regni impleverit, nec deperditâ Dionis historiâ singula ejus tempora a quoquam accurate adhuc descripta sint, non licet nude ponere (Struv. spec. II, p. 4), illam calamitatem extremis Marci diebus accidisse. Contra e loco Capitolini potius suspiceris ea, quae de Aquileia a Luciano referuntur, initio belli accidisse; Capitolinus enim ubi, in M. Anton. c. 14, agit de primis belli Marcoman. rebus, memoratis barbarorum motibus, «Nec parum» inquit «profuit ista (nempe imperatorum) profectio, quum Aquileiam usque venissent.» Qui locus, etsi verbum *venissent* in eo, collato Capitol. in Vero, c. 9, non de hostibus sed de Marco et Vero intelligendum est, (vid. Casaub. ad l.,) tamen designat peculiare quoddam Aquileiae periculum impendisse. Itaque propterea tum in primis quum Aquileiam venerant, imperatorum profectio profuisse videatur, quod alioqui futurum fuerit, quod habet Lucianus, ut haec urbs a barbaris interciperetur; a Luciano autem solum Marcum memorari, non mirum sit, quandoquidem Parthicum bellum nomine certe ac per praefectos L. Verus gessit, Marcomanici vero M. Aurelius jam statim ab initio, etsi comitem esse Verum voluit, tamen totum onus in se recepit.

Luciani quadragesimum annum non post a. CLXV,

incidere satis tuto efficere licet ex libro *de Morte Peregrini.* Praeterquam quod dicit in eo, quater se vidisse Olympia, quum in rogum Pereginus se ipse injiceret, c. 35, propter ipsum scribendi genus et sententiam in dubium venire non potest, quin hoc opus non scriptum sit per primam Luciani in Graecia commorationem, anteaquam sophista in Galliam migraret (Bis Acc. c. 27). Sub idem tempus scriptus est liber *de modo quo Historia Conscribenda sit*, et paullo post Peregrini mortem comicus dialogus qui est *Fugitivi*, si quidem, ut nobis videtur, pro Luciani opere habendus est. Quo autem tempore Luc. abdicatâ sophisticà in Graeciam rediit, fuit *ἤδη τετταράκοντα ἔτη σχεδὸν γεγογώς*, Bis Acc. c. 32. Jam *αὐτοχειρία* Peregrini, quae recens facta a Luciano describitur, notata est in Eusebii Chronico ad a. I. Olymp. CCXXXVI, a. p. Chr. Eusebian, CLXVI, i. e. vulg. CLXV. (conf. Scalig. adn. ad Hieronymi vers. lat. in edit. Lugd. a. 1606, p. 202.) Unde annum Luciani natalem non post a. CXXV incidisse apparet.

God. Wetzlar, in commentatione de aetate, vita et scriptis Luciani, Marburg. 1834, probare instituit, ipsum annum p. Chr. CXXV Luciani natalem fuisse. Atque haec sententia, etsi audaciore passim argumentandi ratione ab auctore explicita, prae caeteris probabilis esse videtur.

In eodem scilicet, quem vidimus, libro *de Morte Peregr.* c. 43, mentio fit itineris cujusdam a Luciano e Syria in Graeciam facti: *ἐκεῖνα μὲν γὰρ πάλαι οἶσθα εὐθὺς ἀκούσας μου, ὅτε ἧκον ἀπὸ Συρίας διηγουμένου, ὡς ἀπὸ Τρῳάδος σομπλεύσαιμι αὐτῷ*

(τῷ Περεγρίνῳ). Recte animadvertit Wetzl., p. 7, diversum certe h. l. iter significari ab eo, quo adolescens primum in Graeciam venit; e Bis Accus. enim intelligimus, Lucianum, anteaquam in Graeciam migraret aliquamdiu in Jonia rhetoricae operam dedisse (c. 27, περὶ τὴν Ἰωνίαν εὑροῦσα πλαζόμενον-ἐπαίδευσα κ.τ.λ.): idcirco de primo in ipsam Graeciam adventu dicturus potius fuerat: ὅτε ἧκον ἀπ' Ἰωνίας. Accedit, quod verbum πάλαι in Peregr. c. 43, verbis laudat. non potest ad remotum tempus referri, quia res, quas amico se post adventam narrasse ait, non ejusmodi sunt, ut ad veteris colloquii memoriam de iis provocare facile potuisset. — Non aliud autem iter eo loco significari videtur, atque id, quod in *Alexandro* memoratum videmus; in quo, quum c. 55, 56, per Cappadociam et Paphlagoniam Amastrin in Bithyniam profectus sit, e Syriâ videtur Graeciam versus ivisse, eamque viam tenuit, qua commodissime deinde e Troade in Graeciam transvehi potuit. Hoc igitur iter, si ante annum CLXV perfectum est, ut perfici potuisse supra explicavimus, tamen, quum inciderit in ultimos annos prophetae Alexandri, qui etiam flagrante Marcomanico bello oraculum dedit, non multo prius hôc anno esse potuit. Atque sub ipsum hoc tempus Lucianum itinera fecisse apparet, in *Quom. Hist. Conscr.* c. 14, nam sub finem Parthici belli, i. e. circiter a. CLXIV, tam in Jonia quam in Graeciâ scriptores hujus belli praesens audivit. Samosata in rebus Parthici belli aliquas partes habuisse, c. 24 videmus, atque e c. 15 suspicari licet, pestem eam, quae in Babylonia exorta (Capitol. in L. Ver. c. 8; in M. Ant. c. 13), statim

post Parthicum bellum usque in occidentem propagata est, jam eo tempore Syriam invadere coepisse (conf. Hermanni adn. ad Quom. Hist. Conscr. l. l. p, 109). Caussae igitur, puto, in promptu sunt, propter quas eo potissimum tempore patrem eum arcessivisse et secum in Graeciam duxisse vero simile sit. Denique e *Somnio* intelligimus, Lucianum patriam revisisse, postquam ex occidente, nempe e Gallia, redierat, i. e. sub quadragesimum aetatis annum; Eruditio enim c. 15, per nocturnam visionem inde ab oriente in occidentem eum deduxerat, exinde c. 16, *ἐπανήγαγεν αὖθις* ad patrem et monstraverat qualis reverteretur; c. 18, autem admonet Lucianus juvenes, ut ne quis eorum ob paupertatem animo deficiat, sed suum exemplum respiciat, *ἐννοῶν οἷος μὲν ὢν - παιδείας ἐπεθύμησα - οἷος δε πρὸς ὑμᾶς ἐπανελήλυθα.*

Nisi igitur Lucianus ipsâ florente aetate, per quam plurima ejus scripta ostendunt eum plerumque Athenis in otio consedisse (conf. not. ad diss. nostr. p. 53, 1), plura itinera fecisse et iteratâ vice in patriam migrasse existimetur, unum idemque habendum est iter, quo paullo ante XL annum aetatis patriam suam invisit (Somn. ll. ll.), et quidem sub exitum Parthici belli a. CLXIV (Quom. Hist. Conscr. ll. ll.), rediit autem comite patre (Alexandr. ll. ll.), et in Graeciam redux fuit (de Morte Peregr. ll. ll.) Ol. CCXXXVI, 1, a. p. Chr CLXV. E quibus collatis locis probabiliter constituitur annus Luciani natalis, a. p. Chr. CXXV.

Ad pag. Dissert. 43, 2. Vide eam opinionem passim apud C. G. Jacobum, in Charact. des Lucians, S. 31:

«Solche Uebungen (nempe quales in *Amoribus* et *Anacharside* describuntur) hält Lucian *seinen Zeitgenossen* vor, damit sie die Jugend in Verbindung mit der — geistigen Erziehung stark und kräftig heranwachsen lassen.» — S. 32: «Er versprach sich nur von einer harmonischen Ausbildung des Geistes und Körpers die besten Folgen für die Erstarkung der Romuliden seiner Zeit zum Bessern.» Hunc in primis secutus Fr. Cramer, in Geschichte der Erzieh. u. d. Unterr. im Alterth. Bd. II, S. 715, 718, affirmavit dominari in scriptis Luciani: «die Idee von einer Wiedergeburt des griechischen Alterthums, *durch eine zeitgemässe Regeneration der alten griechischen Erziehung*.» Quam quidem sententiam, cum aliis, tum *Anarcharsidis* locis illustravit.

Ut autem aliter de Luciano judicemus, quamquam efficietur, ni fallor, ipsâ posteriorum ejus scriptorum explicatione, tamen, quum jam hanc priorem disputationis partem separatim edamus, nonnulla hoc loco adnotanda videntur.

Lucianus si haud raro in satiricis suis scriptis Cynica rerum humanarum despicientia usus est, et verae libertatis effectricem eam laudavit (exempl. vid. insigniora, in Dialog. Mort. I, II, X; Catapl. c. 12, 13, 15; Charon. c. 15—20; Icarom. c. 4, 17; conf. Demonact. Vit. c. 20), profecto unice voluit, conjunctam esse libertatem cum animi ingeniique cultu. In explodendâ quidem mortalium vanitate heroës induxit Cynicos, mirifice vero explosit in iis ipsis inhumanitatem et ἀπαιδευσίαν (vid. Vit. Auct. c. 10, 11: *οὐ γάρ σοι δεήσει παιδείας κ. τ. λ.*). Non in sophistica

modo Pantheae laudatione necesse esse dicit *πάντων καλῶν παιδείαν ἡγεῖσθαι.* (Imag. c. 16), sed etiam ubi in egregio dramate Reviviscentium veram Philosophiam in scenam produxit, sociae hanc comitantur omnes virtutes, *ἡ προηγουμένη δὲ, Παιδεία* (Piscat. s. Revivisc. c. 16). — Singulare prorsus Luciani studium conspicuum est in *πεπαιδευμένου* hominis dignitate et loco tuendis; in nullo aequalium ordine iniquius quam in illis, submissum et humilem animum tulit aut graviore reprehensione notavit (vid. Nigrin. c. 24, 25; De Merc. Cond. c. 4, 11, 12, 23, alibi.); neque aliam potissimum ob caussam in odio habuit Romanos, quam quod verâ eos humanitate destitutos esse censeret, nec ferre contumeliosum imperium posset, quod illi per divitias suas et opes in eruditos Graecos exercebant (vid. passim libr. De Merced. Cond. c. 11, 12, 20 in prim. c. 25).

Atque ignoret plane Luciani ingenium et scripta oportet, qui non, deflorescenti qua vixit aetate, eam in primis eum eruditionem et humanitatem amplexum esse cognoverit, quae antiquae Graeciae memoriâ et exemplis continebatur. Riserit veterum deorum cultum ac poëtarum de iis fabulis, at carminum Homeri venerabatur *σοφίαν* et *μεγαλοφροσύνην* (De Merc. Cond. c. 25; Quom. Hist. Conscr. c. 57); inania et falsa antiquorum philosophorum systemata duxerit, at ingenia in iisdem excelsa, praeceptorum salubritatem, literarum praeclara monumenta suspexit (Piscat. s. Reviv. c. 37; De Merc. Cond. c. 24. — Piscat. c. 30. — Ibid. c. 6); in literis adeo totum antiquorum se studio nutritum esse ubique profitetur. Conf. disput. nostr. p. 59 sqq.

Consentaneum sane fuit Luciani antiquae humanitatis amori, si admiratus quoque est strictiore eam notione dictam *Ἑλληνικὴν παιδείαν*, disciplinam, quae apud Graecos instituendae et educandae juventuti adhibita olim fuerat. Cujus rei egregium documentum est ejus ***Anacharsis.*** Non enim nisi magnâ quadam antiquae educationis admiratione affectus tam luculenter, quam fecit, de ea exponere potuit.

Simul tamen intelligimus, eum multa Solonem Anacharsidi explicantem induxisse, de quibus suâ aetate non potuerit ipse perinde sentire. ***Conformandis adolescentium mentibus*** Homeri et Hesiodi et Tragicorum (conf. Anachar. c. 21, 22), quantumvis ipsorum admirator, non potuit poëticae religionis contemtor, idoneas censere sententias. De ***corporis exercitationum consilio*** Solon (Anach. c. 24, sub fin.): *πάντα γὰρ ταῦτα, ὦ Ἀνάχαρσι, ἐπ᾽ ἐκεῖνον τὸν ἀγῶνα πορίζόμεθα τὸν ἐν τοῖς ὅπλοις.* At jam pridem ante Luciani aetatem, constituto Romanorum imperio, desierat ***illud in armis certamen***, Graecis esse propositum. Poterat in jocoso amicorum colloquio Luciani sodalis Samippus novum et militare imperium et victorias in Persas somniare (Navig. s. Vot. c. 28, sqq.), nempe eo modo, quo magicos sibi annulos et facultatem volandi Timolaus (ibid. c. 42) a Mercurio exoptabat; Lucianum autem non erat, quod ingenuo joco fateri puderet ad bellica quidem negotia se non esse exercitatum, quin imo se ab iis abhorrere. (Navig. s. Vot. c. 30: *σὺ δὲ τῶν ἐρρωμένων τούτων τινὰ ποίησον ἵππαρχον· ἐγὼ γάρ σοι δεινῶς ἄφιππός εἰμι καὶ οὐδὲ ὅλως ἐπέβην ἵππον ἐν τῷ πρὸ τοῦ χρόνῳ*; conf. c. 33,

37. Longe sane diversus in eo Lucianus a juvene illo, de quo scriptor *Amorum*, c. 45: *Θεσσαλοὶ γὰρ ἵπποι μέλουσιν αὐτῷ -- ἐν εἰρήνῃ μελετᾷ τὰ πολεμικά.*)

Omnino quasnam partes antiquae educationis mutatis temporibus probaverit suaeque aetati convenire judicaverit, nec distincte nobis designavit, neque est cur animo id ipsum suo plane sibi explicatum habuisse putemus. At, si minus pristinam ejus formam et singula instituta, quae in Anacharside descripsit, propriam certe naturam ac principia amplexus omnino videtur; intellexit nimirum, quemadmodum illa, politico quidem consilio, verumtamen tota in eo posita fuisset, ut nativas, tum animi, tum corporis facultates in adolescentibus, promovendo corrigendoque, rite conformaret. «Non satis nobis videtur,» Solon, in Anach. c. 20, dicit, «eo modo ingenio esse unumquemque uti natus est, sive quantum ad corpus, sive quod ad animum; verum institutione apud eos indigemus ac disciplina, a quibus cum ea, quae feliciter nata sunt, meliora multo fiant, tum quae male se habent, transformentur in melius. Exemplum nobis est ab agricolis, qui plantas, quamdiu humiles sunt ac tenerae tegunt ac sepiunt; cum vero jam crassitiem aliquam surculus habet, tum et superflua putatione resecant, et ventis eas quatiendas agitandasque dum permittunt, fertiliores efficiunt.» — Lucianum porro eam antiquae disciplinae partem, quae in corpore corroborando et componendo posita fuit, sublato etiam prisco militari ejus usu, suis ipsius temporibus *probasse*, coligi potest e laudibus, quas interdum aequalibus hominibus eo nomine tribuit. In charcte-

rismo Nigrini memoratum videmus *exercitiorum justum in eo modum:* «non parva,» inquit, «haec praebet imitari volentibus exempla, victus scilicet frugalitatem, *τῶν γυμνασίων τὸ σύμμετρον,* (Nigrin. c. 26); Demonactem philosophum laudat, quod non illotis, quod aiunt, pedibus, sed literis demum innutritus philosophari agressus fuisset, subjungit autem *καὶ τὸ σῶμα δὲ ἐγεγύμναστο, καὶ πρὸς καρτερίαν διεπεπόνητο* (Vit. Demon. c. 4).

Verum cavendum ne indè efficiamus, studuisse Lucianum, ut sive educatione apud aequales *informandâ* instauraret antiquitatem, sive *restituendis* gymnasticis exercitiis depravatam Graecorum et Romanorum progeniem ad meliorem frugem reduceret. Ne enim dicamus, apparere plane e scriptis, in quibus Lucianus, relictâ sophisticâ, mores aequalium descripsit, nimis eum de seculo suo desperasse, ut emendatoris partes potuisset suscipere (vid. luculentos locos: Piscat. s. Reviv. c. 20; De Morte Peregrin. c. 39; Alexand. s. Pseudom. c. 45, coll. c. 55), pauci admodum in ejus scriptis loci sunt, in quibus ulla fit mentio de educatione, quae ipsius aetate erat. Institutionem quidem, quae ab aequalibus sophistis adolescentibus adhiberi solebat, et acriter perstrinxit et sanioris rationis ei identidem exempla opposuit; verum praeterquam quod in eo agendo suorum ipsius studiorum et literarum caussam agebat, tantum aberat, ut de emendanda illa disciplina bene speraret, ut contra sophistae munere ipse se abdicaverit. — Caeterum in Nigrino, c. 27, notavit asceticam quorumdam praeceptorum in discipulos

severitatem; in Philopseudi, c. 37, absurdam τερατολογίαν, qua parentes liberorum suorum animos inde a teneris meticulosâ superstitione imbuebant: et sub finem Hermotimi strictim, lucido exemplo, quod exstat c. 80—82, perversam rationem eorum, qui, neglectâ vitae ac morum disciplinâ, abstrusas quasdam philosophiae doctrinas puerorum mentibus inculcabant. — Neglectam in puerorum educatione corporis exercitationem ne memoravit quidem. Jam vero si Lucianus ab instauranda illa educationis parte singularem quemdam ad corrigendam suam aetatem fructum sibi sperasset, aut fallor vehementer, aut non adeo sui se dissimilem praestiturus fuisset, ut, qui admirabili, qua fuit, ingenii fertilitate continenter usus est ad aequalium errores ac vitia in luce ponenda, non identidem quoque saeculi sui ἀγυμνασίαν et ipsos τοὺς ἀγυμνάστους satiricis suis scriptis exagitasset.

Caeterum opinio de Luciano educationis emendatore arcte conjuncta est cum universa ea, summo jure in doctissimo Jacobi opere ab Hermanno (in censura, quae est in Algem. Schulz. an. 1832, N. 100—102) reprehensa sententia, qua in corrigendo et docendo praecipuum Luciani scribendi consilium fuisse ponit, et proprium Luciani characterem *emendatoris* potius quam *subversoris* fuisse censet. Sed haec quidem disceptatio nec separatim a nobis neque ἐκ παρόδου institui potest.

THESES.

I.

Rejiciendum Suidae de Luciano testimonium: ἦν δὲ οὗτος τὸ πρὶν δικηγόρος ἐν Ἀντιοχείᾳ τῆς Συρίας· δυσπραγήσας δὲ ἐν τούτῳ ἐπὶ τὸ λογογραφεῖν ἐτράπη.

II.

Amores non sunt Luciani.

III.

Propria Luciani ingenii vis non solum posita fuit in communi sensu a fraudibus praestigiisque tutando, verum etiam in animi libertate et moderatione a saeculi sui humilitate et insolentia vindicandis.

IV.

Perperam e Luciani Dialogis Mortuorum colligitur, eum statuisse animos esse immortales.

V.

Dramatica autem forma magis in iis composita est ad humanarum rerum vanitatem explodendam, quam ad notandas fabulas inferorum.

VI.

Quintus Cicero, post pugnam Pharsalicam et relictos a Marco Cicerone Pompejanos, improbâ quidem in fratrem usus est acerbitate, verumtamen et justas offensionis causas habuit, neque id egisse censendus est, ut cum fratris sui periculo propriae apud Caesarem salutem prospiceret.

VII.

Cicero, ubi in Oratione pro Murena, c. XXIX sqq. Stoicae Catonis severitati illudit, ea potissimum dicit, quae reapse et jure in Catone improbabat.

VIII.

Cicero, ut in philosophis scriptis Academicam illam probabilitatem profiteretur, non tam Carneadis rationibus ductus fuit, quam coactus discrepantibus Graecorum

philosophorum decretis, atque ipsius, in uberrimâ illorum doctrina propriae et certae philosophandi rationis inopiâ.

IX.

Legitimi Reipublicae status exitum maturaverunt Romani optimates, quum reduci ex Oriente Pompejo non sponte ea concederent, quae hic deinde, ipsis invitis, Caesare adjutore obtinuit.

X.

«Litterarum secreta», in Taciti Germania c. XIX, neque universe de arte scribendi, nec unice de furtivis amantium epistolis intelligenda sunt.

XI.

Ctesias de rebus Persicis ampliora quam Herodotus scribendi praesidia habuit; fide autem et in fontibus adhibendis cautione longissime Herodoto postponendus est.

XII.

Assentimur doct. Alb. Jonghio (Symb. Liter. IV, p. 117 sqq.) in eam sententiam disputanti, ut fides habenda Herodoto sit, lib. III, c. 80, narranti, post occisum Pseudo-Smerdin habitos esse a Persis sermones de monarchia aut aristocratia aut democratia constituenda.

XIII.

Naves, quibus Athenienses, ante Persicum bellum, in expeditione adversus Aeginetas usi fuerunt, Herod l. VI, c. 89, τριήρεις intelligendae sunt.

XIV.

Probanda Schoemanni emendatio, in loco Herodot. l. VI, c. 87, ἦν γὰρ δὴ τοῖσι Ἀθηναίοισι πηντήρης ἐπὶ Σουνίῳ, pro πεντήρης legentis πεντετηρίς.

XV.

Plato in libris de Republica internum potius justi hominis habitum, quam justitiae in mutuo hominum commercio et societate rationem declarare instituit.

XVI.

«So weit unsere Erkenntniss geht, steht das Persönliche höher als das Unpersönliche, und wir steigern den Begriff des Vollkommenen nicht dadurch, dass wir es als Unpersönliches denken.» Ullmann, der Cultus des Genius, Theol. Stud. u. Krit. 1840, H. 1, S. 38.

Errata.

Pag. 8, *lin.* 7. ilineamentis	*lege*	lineamentis
» 8, » 8. mago	»	imago.
» 12, » 14. κλήθεσιν	»	πλήθεσιν
» 16, *not.* 2, *lin.* 5. τοὺς	»	τοὺς
» 25, » 3, » 7, σᾶς	»	σφᾶς
» 41, *lin.* 1. sententiam	»	sententiâ
» 56, » 5. nter	»	inter
» 59, » 6. epsos	»	ipsos
» 59, *not.* 1, *lin.* 3. ῥήμας	»	ῥήμασι

1841.